



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Subsectio octava. Circa controversa de Sacramento & Sacrificio
Eucharistico.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

*Pars secunda de elevatione
speciebus panis & vini ad spiritualem animarum
refectionem divinitus institutum, & simul oblatio
Christi incruenta Deo facta à Sacerdote per immu-
tationem panis & vini, & mysticam separationem
sanguinis Christi à corpore in recognitionem su-
premi dominii, quod Deus habet in vitam & re-
cem. Errores Sectariorum huic Catholicæ do-
ctrinæ contrarios operæ pretium est paulò fufius
refutare. Cùm non semper quilibet tam prom-
ptè ad manum habeat & respondenda & obmo-
venda Adversariis. Primarius autem finis meus
est, ut bonus Catholicus confortetur in pro-
posito sæpiùs devotè Eucharisticum panem su-
mendi, & per diem eum sæpiùs cum eadem de-
votione, si occasionem habeat, invisendi &
adorandi.*

Subsectio octava.

*Circa controversa de Sacramento & Sacrificio
Eucharistico.*

1. mò.

Sacramentarii refutantur & convincuntur.

HI se fundant primò in textu uno vel altero,
voluntque in sensu improprio hæc verba:
Hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus, &c.
accipi debere. 2. dò. In absurditatibus, quas
ex præsentia Christi sub speciebus panis & vini
sequi dicunt. His refutatis argumenta ex Script.
imò

imò ratione adducam te in veritate Catholica
convincencia. *Primi generis* argumenta eo-
rum sunt sequentia : in Script. sacrâ sæpiùs ad-
hibentur tropi & locutiones impropria. Sic
circumcisio dicitur *Pactum inter Deum & homi-*
nem. Agnus Paschalis *Phase seu transitus populi*
scilicet Israelitici. Christus se dicit esse panem,
viam, portam, Pastorem, vitem, & in materia
de Euchar. locutus est improprie dicens : *Hic*
est calix sanguinis mei, ubi per synecdochen
continens accipit pro contento. Dicit item :
Hoc facite in meam commemorationem, hoc est
memoriam. Ergo hæc verba *Hic est sanguis,*
hoc est corpus meum etiam improprie pro signo
memoriâ accipienda sunt. Maximè cum Chri-
stus sedens post Ascensionem ad dextram Patris
ante extremum diem judicii non dicatur redi-
turus in mundum, & ipse Matth. 26. instituens
cœnam ultimam dicat, se non bibiturum de
hoc genimine vitis [cujus potus scilicet erat fi-
gura sanguinis ejus] *donec bibat novum in regno*
Patris sui. Et Joan. 12. dicat : *Pauperes semper*
habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.
& 24. Matth. dicat post suum in cœlos ascensum
credendum non esse dicenti : *Ecce hic est Chri-*
stus aut illic. R. N. consequentiam, quam ex
his omnibus volunt deducere Sacramentarii.
Adhibentur utique tropi synecdoche allegoria
in S. Script. sed quoties id fit, manifesta quo-
que ratio evincit, propositiones ejusmodi in
sensu proprio accipi non posse. V. g. quando
dicitur circumcisio esse pactum Deum inter &
N homi-

homines, Agnum paschalem esse transmigra-
tionem Israël ex Ægypto, Christum esse viam,
portam, Pastorem, vitem, panem. Jam scitur
inter subjectum & prædicatum talium propo-
sitionum in sensu materiali aut proprio accepta
esse distinctionem realem adæquatam, Ergo
ut veræ sint, cum implicet in sensu proprio eas
esse veras. *to est* sive copula connectens præ-
dicatum cum subjecto debet afficere prædica-
tum non acceptum secundum essentiam in sensu
proprio; sed secundum essentiam prædicatum
tanquam signi aut symboli, aut memorialis cu-
jusdam accepti. Sic prædicatum scilicet *to Pa-*
etum circumcisioni datum denotat *signum passio-*
to Phase seu transitus datum Agno Paschali sig-
nificat *memoriam transitus*. *to via, porta, Pa-*
stor, vitis, panis Christo datum significat his alli-
mulari Christum, vel ea Christum esse in sensu
spirituali, ut satis indicat ipse Christus dicens
Joan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de celo descen-*
dit. Talia pani nostro usuali non conveniunt.
Quod autem sumi velit Christus Eucharistiam
in sui memoriam, non denotat ejus, quando
communico vel sacrificio, absentiam. Quia eti-
am in alicujus præsentia memoriam ipsius vel
beneficii mihi ab ipso præstiti habere possum.
Dum dicit Christus *pauperes* semper apud nos
esse non ipsum; ex contextu patet eum locutum
esse de præsentia corporali, quam edendo, bi-
bendo, familiariter cum Discipulis suis conver-
sando, populoque prædicando exhibebat. In
quo statu & Christo ministrari, & caput ejus
unguento

unguento pretioso inungi poterat. Hinc aliquis ex Discipulis, cui non erat cura pauperum, sed oculos habebat, malè inferebat pecuniam pro tam pretioso unguento expositam potuisse pauperibus dari. Pariter quando vetat credi dicenti: *Hic & illic est Christus*, manifestè loquitur, ut patet ex contextu, de falsis Prophetis se Christum esse dicturis. Tales sycophantæ multi sunt, & fuerunt inter Sectarios. Sic etiam Christus nobis præsens in Eucharistia non descendit de cælo, ut cum Majestate descendet judicaturus mundum, sed manens in cælo simul verbis consecrationis peractis est præsens sub speciebus vini & panis in terra. Nunquid Act. 9. & 23. adfuit Paulo post ascensionem suam? & cur id minùs potuisset post, quàm ante ascensionem? nunquid ante eam apparuit plus quàm quingentis fratribus suis? & sanè dum Apostolis suis in cæna dedit integrum corpus suum, eodem temporis momento fuit in pluribus locis, & sicut negare non potes per Dei omnipotentiam fieri posse, ut quis simul in pluribus locis sit Angelus aut homo purus, ità nec Christo id negare potes. Si ergo (dum ille clarè dicit, verum se nobis dare corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini) impotentia eum non possis arguere. An imposturæ argues? cum hæc propositio *hoc* (scilicet contentum sub speciebus panis & vini) *est corpus meum*, in sensu omninò proprio possit accipi. Quòd contentum Christus acceperit pro continente dicens: *Hic est calix sanguinis mei*, patet ex sub-

junctis immediatè ab ipso verbis ; *Bibite, qui pro vobis fundetur.* Calix enim non bibitur nec funditur, sed liquor in calice contentus. Sic etiam, dum vis ex Matth. 26, inferre, Christum non dedisse Apostolis in cœna bibendum, nisi de gemmine vitis, si inspicias Lucam c. 22. invenies Apostolos primò cum Christo comedisse agnum Paschalem, & immediatè post accepisse calicem non consecratum è manu Christi dicens ; *Accipite, & dividite inter vos.* Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. V. hæc l. c. v. 17. Tandem v. 19. *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit illis dicens ; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Similiter v. 20. *Acceptis & calicem, postquam cœnavit, dicens ; Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Atque ex his patet, & ex infra dicendis patebit magis, frustra recurrere Sectarios ad sensum improprium horum verborum ; *Hoc est Corpus, hic est sanguis meus.*

Sed dicunt alio ex capite id posse desumi v. g. Levit. 17. prohibetur comestio carnis & sanguinis. Ergo taliter Christus etiam se nobis non dederit manducandum. Et Joan. 6. dicitur ; *Caro non prodest quidquam. Spiritus est, qui vivificat.* Ergo spiritualiter, symbolicè, &c. tantum sumitur Christus in Cœna. R. ad 1. mandatum hoc utpote caremoniale jam est abrogatum. Nec illud servant Sectarii nequidem in Quadragesimâ aut aliis diebus jejunii vel abstinentiæ

tiã ab Ecclesia præceptis : sermo autem in præcepto isto erat de carne & sanguine in specie sua propria. Sed Christus ex amore erga nos infinito, ne suã Majestatem visibilis nos terreat, dat se nobis in cibum & potum sub speciebus panis & vini. R. ad 2. blasphemum esse, si dicatur carnem Christi nil prodesse, quia sic nec prodesset *Verbum caro factum*. Sensus ergo est, quòd non debeamus carnaliter hæc verba accipere, & comedite, accipere hoc sensu, quasi carnem Christi sicut carnem vitulinam lacerare dentibus, & in stomachum debeamus immittere; ut sibi crassè imaginabantur Capharnaitæ, quos I. C. Christus redarguit, & docet sensum verborum ita carnaliter acceptum nil prodesse. Non tamen inde sequitur, quòd non verè accipiamus carnem ac sanguinem Christi in Eucharistia. Verè enim verba Christi, quæ Sacerdos ejus nomine in consecratione hostiæ & vini exprimit: *Spiritus & vita sunt*, teste August. dum panem & vinum inanimata in verum corpus Christi animatum transmutant.

Ad 2di generis argumenta scilicet prætensas absurditates ex vera Christi præsentia sub speciebus panis & vini. R. breviter. Absurdum non esse, Christum descendere in stomachum, & os sæpè valdè fœtidum &c. & blasphemum est, id dicere, cum sic Christus velit ex infinita in nos caritate se nobis unire, & quasi nos in se transformare. Nec spati potest aliquid, dum ita intrat in nos sub speciebus panis & vini, tum quia corpus ejus jam est gloriosum; tum quia

partes corporis ejus sunt penetratæ. Qui indignè sumunt vel tractant non cum debita decencia corpus Christi in Eucharistia, si id faciant ex malitia, peccant quidem gravissimè. Christus tamen inde nil patitur. Si projiciatur in cloacam; tam parum fœdatur corpus Christi, quam parum fœdatur Divinitas etiam in sordidissimis locis præsens, aut radius solis per cloacas transiens. Solùm species panis & vini fœdantur, unde nec corpus Christi ejicitur per lecessum, ut spurcè obganniunt Hæretici. Nam dum species v. g. panis incipiunt alterari, corrumpi, vel ex calore naturali stomachi vel aliande, desinit sub iis esse Christus, & hinc etiam, si cremetur hostia, computrescat in sacrario, &c. Ejusmodi res corpus Christi non afficiunt, sed species duntaxat Eucharisticas.

Maximum absurdum imaginantur sibi in hoc Sacramentariis aliqui, quòd inconceptibile esse videatur, quomodo Christi membra omnia compenetrari possint; & ipse in tam diversis simul locis sub speciebus Eucharisticis sit. Sed si ideo non negant dari v. g. incarnationem verbi divini, Deum Trinum & unum, quia id tantum de fide credendum proponitur, licet non tantum excedant captum nostrum, sed & contra rationem pugnare videantur, & mysterium Trinitatis quoad illa omnia, quæ complectitur, non tam claris in Scriptura verbis contineatur. Quomodo quòd adhuc minus captum nostrum excedit, negare audent, & discredere Christo tam claris & disertis verbis in Script. & toties alle-

allētenti? *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Joan. 6. v. 52. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Et Matth. 26. Luc. 22. In ultimâ Cœnâ hoc Sacramentum instituens expressis denuò & clarissimis verbis repetit: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc verba profert tanquam Testator & Legislator. Adeoque in sensu proprio accipi debent, nisi ostendatur manifesta implicantia. Atqui hæc non est, ergo. Et sanè, si tunc, quando Christus quâ Testator & Legislator & clarè loqui debet, ne detur ansa litibus, & toties clarè loquitur; verba ejus non debeant accipi in sensu proprio. Ex Scriptura nihil amplius probari potest solidè, sicque fas erit hæc verba *Ego & Pater unum sumus. Hic est Filius meus dilectus, &c.* in sensum alienum & tropicum detorquere, & sic omnia fidei mysteria convelli poterunt. Et si corpus Christi non verè, sed tantùm figuratè est in Eucharistia, tum in antiqua lege comedentes agnum Paschalem, panes propositionis non minus comederunt in tali sensu corpus Christi, ac nos in nova lege, quia comederunt figuram puram corporis Christi, & omnem gratiam etiam acceperunt intuitu meritorum Christi tanquam Messia ac Redemptoris humani generis. Atque sic nihil

novi instituit Christus instituendo Eucharistiam, sed illa modò æquè est figura Christi, *qui venit*. Sicut agnus Paschalis *venturi* & pro salute hominum occidendi figura erat, & sic figuris V. testamenti non successit veritas in N. testamento. Sed figuris nobilioribus successit simplicior figura & vilior. Clariùs enim & aptiùs indicabit agnus paschalis occisus mortem Christi, quam frustulum panis & cochlear vini. Sed absit hanc verbis Christi clarissimis *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, injuriam irrogare, sicut & verbis claris Pauli I. Cor. 10. v. 16. Calix benedictionis, *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Hoc est, nonne in vino & pane consecrato communicatur nobis sanguis & corpus Christi? & hoc confirmat Paulus I. c. c. 11. à v. 23. ubi totam seriem instituti in Cœna ultima Sacramenti Eucharistiæ exponit, & v. 27. addit: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Judicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, & dormiunt multi.* Nec talia scelera committebat olim in statu disgratiæ comedens agnum Paschalem aut panes propositionis. Nec tales pœnæ morborum mortis sequebantur, licet Sacerdotis instar sacrificare volens, vel arcant tangens, cui non competeat, punitus sit. Ergo cum indignè sumens *reus sit corporis Domini, judicium sibi manducet.* Quid clariùs? quam quòd

quòd in Sacramento à Christo instituto sit ipse
& non figura tantùm sui. Panis autem vocatur
Eucharisticus, quia immediatè ante fuit sub-
stantia panis, & ex post remanent ejus species.
Et juxta Script. phrasin non solùm ea, quæ cor-
pori nutriendo necessaria sunt, sed etiam quibus
animæ opus est, *panis nomine* nuncupatur. Sic
verbum Dei vocatur *panis*, & Christus ipse
Joan. 6. se *panem vivum* nominat. Nec præ-
sentia Christi obstat; quòd simul Sacramen-
tum Eucharistia dicatur apud PP. & omnes sa-
nos Theologos *nota symbolum figura, signum*
corporis Christi, quia dicunt esse signum non
absentis, sed realiter & substantialiter præsentis
Christi, & in *omni NB. Sacramento* deprehen-
ditur *signum, & res per illud significata, figura*
& *res figurata*. Hinc supra dixi agnum Palcha-
lem fuisse *NB. tantùm figuram Christi*. Cæte-
rum quando simpliciter quid dicitur *figura, ima-*
go, & non additur particula *tantùm*. Figura
vel forma item imago potest idem esse, quòd
figuratum aut repræsentatum. Aliàs ex eo, quòd
Apostolus ad Philipp. 2. v. 7. dicit: *Christum*
servi formam accepisse, & habitu inventum ut ho-
minem. Et quando ad Coloss. 1. v. 15. Christus
dicitur esse *Imago Dei invisibilis*, inferri posset,
eum nec verum hominem nec Deum esse. Mi-
rum quomodo Calvinus sibi contradicat. Pres-
lus enim clarissimis Christi verbis l. 4. Instit. c.
17. §. 32. ait: *In sacra Cæna jubet me sub sym-*
bolis panis ac vini corpus & sanguinem suum man-
ducare & bibere, Nihil dubito, quin & ipse verè

porrigat, *Ego recipiam.* In libro de consensu in re Sacramentaria tollenda inquit, est qualibet localis presentie imaginatio. Christus, quatenus homo est, non alibi quam in calo quarendus est. Perplexum & ambiguum hunc loquendi locum explicent prout volent Calvinistæ. Mea non interest, cum promiserim me quoque presentiam Christi in Eucharistia ex ratione scilicet reflexa probaturum. Ecce argumentum Bellarmini in forma alicujus syllogismi. Quod primi Christiani ab Apostolis, & ab eorum successoribus instructi crediderunt hac in materia, hoc debet tanquam verum & de fide admitti. Atqui primi Christiani ab Apostolis instructi crediderunt sub speciebus panis & vini esse presentem Christum. Ergo hoc verum & de fide est. *Major* negari non potest, quia si ab Apostolis Spiritu S. repletis non fuit hac in materia vera fides tradita, ergo veris nunquam articulis fidei mundus imbutus fuit. *Minor* probatur. Si primi Christiani ab Apostolis instructi hoc non crediderunt. Ergo vel cum Sacramentariis crediderunt nil esse in Eucharistia nisi panem & vinum tanquam figuram Christi, vel cum Lutheranis adesse simul substantiam panis & vini, & Christum in sumptione actuali & non ex post &c. Unum de his si sustines, jam ostende, in quo sæculo totus mundus tam difficili & captum quasi hominis excedente fide fit imbutus, ut crediderit contra primorum Christianorum sensa non esse panem & vinum in Eucharistia, sed annihilatâ horum substantiâ sub eorum speciebus

ciebus verè latere & manere ipsum corpus & sanguinem Christi. Vel hæc tam difficilis fides, uno ut ità dicam momento vel uno die aut nocte introducta est. Ità ut in primis Christianitatis sæcula homines cubitum iverint ut Calvinistæ vel Lutherani, & altero mane surrexerint ut Romano Catholici in præsentis controversia. Et hoc per totum mundum unâ vice fieri non potuit per ullum hominem aut Diabolum, & non aliter quàm à Deo mira summa efficiente evenire potuisset. Et sic adhuc verus esset Catholicorum sensus. Vel ista mutatio fuit paulatim & successivè facta, quòd solum etiam ut verum, suppositâ mutatione doctrinæ factâ, sustineri posset. Et jam sive ex historicis sacris, sive profanis, sive ex Conciliis & Patribus, sive aliis quibuscunque demum Scriptoribus ostendatur. An in primo vel secundo, vel tertio sæculo, vel sequentibus, & in quibus determinatè à fide majorum credentium in Eucharistia non esse Christum, sed tantùm per eam figurari, vel esse Christum cum substantia panis & vini, discessum sit, & captum ferè humanum excedens doctrina Romano-Catholica sit introducta. Superi ! in ultimis hisce sæculis, dum doctrina tam captu facilis, ut panem esse figuram Dei (quod de omni creatura dici potest) credatur; introducta est. Quot non pro & contra libri scripti? quot urbes, ditiones, regna perturbata? quot bella exarserunt? quantum sanguinis humani effusum? quot docti, quot Universitates inter se collisæ? quot cætus, quot disputa-

tiones pro & contra habitæ ? ita ut libris ac libellis editis amplissima impleri posset Bibliotheca. Et tamen altum à prima Christianitate silentium fuit usque ad præsentia sæcula ; nec ullus Scriptor invenitur , qui ostendat , quando fides Calvinistica sive Lutherana , quam primitivi Christiani habuisse , si Superis placet , supponuntur , fuerit abolita , & Romano-Catholica hoc in puncto tam difficilis sit introducta. Constat ergo ex communi traditione , ab Apostolorum & primorum Christianorum temporibus idem de Christi præsentia sub speciebus vini & panis fuisse creditum , quòd & modò Romano-Catholici credunt. Ergo illorum fides vera est , & à Christo ejusque Apostolis venit. Capharnaitæ equidem , ut supra vidimus , noluerunt credere , Christum se in cibum dare. Fuerint etiam ex post , qui de eo non satis in fide firmi dubitaverint , & hinc SS. PP. & Doctores Ecclesiæ antiquos in eo totos fuisse cernimus , ut ostenderent sufficere clarum Dei verbum , fidem Catholicorum hoc in puncto adstruens , nec debere hic sensuum experimento agi. Interim de nullo in historia sive sacra sive profana celebrato constat , quòd sectam fidei Romano-Catholicæ hoc in puncto contrariam introducere conatus sit , nisi post mille quinquaginta annos æræ Christianæ. Quando Berengarius auctor extitit Sacramentariorum realem Christi in Eucharistia præsentiam negans , licet ipse demum post iteratos relapsus & palinodias damnatis suis erroribus Catholicè obierit,

Hoc Bellarmini argumento rationem convincente, quod primi Christiani crediderint de Christo in Eucharistia, quod & modo Romano Catholici; sæpè urbi & pisce mutiores reddidi Calvinii affectas. Jam idem etiam probare possem, torrente textuum ex SS. PP. & CC. primorum sæculorum, sed quia hi in obviis passim habentur libris, & ipsum officium de Ven. Sacramento per totam Octavam textus ex PP. plurimos subministrat. Sufficiat, quod S. Clemen. D. Petri Discipulus & Successor in Sede Romana in constitut. Apostolicis lib. 8. cap. 14. dicat: *Qui pretiosum corpus & pretiosum sanguinem Jesu Christi participavimus, agamus gratias.* Et Conc. Nicœn. I. c. 14. dicat: *Pervenit ad S. Concilium, quod in locis quibusdam Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt, Corpus Christi porrigant.* Zvinglius, postquam narravit de nocte spiritum sibi apparuisse, à quo didicerit sensum horum verborum: *Hoc est Corpus meum, esse istum, hoc significat corpus meum.* Mox subjungit: *Ater fuerit an albus nihil memini.* Lutherani dicunt utique fuisse atrum, & hinc inferunt doctrinam Sacramentarium esse à Dæmone. Sed retorqueunt Calvinistæ, Lutherum apertè fateri, doctrinam de abroganda Missa in nocturna disputatione ei suggestam & persuasam fuisse à Dæmone. Hic quadrat illud Poëtæ: *Va tibi tu; nigra dicebat cncabus olla.* August. aliique PP.

dum dicunt Christum esse *cibum mentis non ventris*, debere manducari corde ac spiritualiter, non negant realem Christi præsentiam, quam toties clarissimis verbis adstruunt, sed innuunt Eucharistiam, ut cum fructu percipiatur, debere percipi verâ fide debitâ cum devotione. Hinc post verba, quæ ex August. citantur ex *Can. ut quid distinct. 2da, ut quid paras dentem & ventrem, crede & manducasti.* Subjiciuntur quoque sequentia, ex quibus patet, quid Augustinus credi voluerit. *Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res invisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus. Cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formavit. Post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecravit.* Idem Tract. 11, in Joan. hanc inter Catechumenum & baptizatum dicit esse differentiam, quòd uterque credat in Christum, Catechumenus autem necdum manducaverit *carnem filii hominis, nec biberit sanguinem filii hominis.* Idem August. Tr. 26. in Joan dicit: Christum spiritualiter manducari, si innocentia ad Altare apportetur, indignè sumentes iudicium sibi manducare.



2do.

Resutantur Lutherani, qui unâ cum Christo ad-
esse volunt substantiam panis & vini in Sacra-
mento, nec adesse Christum, nisi in actuali jura-
pione, adeoque hostiam nec asservandam,
nec adorandam esse, sumi vero debere
Christum sub utraque specie
panis & vini.

Agredior Lutheranos hæc omnia sustinen-
tes, licet inter eos, qui se tales nominant,
non semper quoad hæc omnia conveniat. 1mo.
Ergo hæc Christi propositio non esset vera, *Hoc*
est Corpus meum, hic est sanguis meus. Si simul
adit substantia panis & vini. Ad veritatem
enim propositionis requiritur, ut subjectum &
prædicatum sint realiter objectivè idem, & con-
sequenter *to hoc* & *to hic*, quod est *subjectum*
debet supponere pro eo, pro quo supponit *pra-*
dicatum juxta omnes sanos Philosophos. *Pra-*
dicatum autem in his propositionibus supponit
pro solo corpore & sanguine Christi. Non au-
tem simul pro substantia panis & vini. Ergo &
sic implicitè, licet non ita clarè, debet suppo-
nere subjectum, ut sensus sit: *Hoc sub speciebus*
panis contentum est corpus meum, hic sub specie-
bus vini contentus est sanguis meus. Si autem
panis & vinum quoad substantiam simul mane-
rent, propositio esset evidenter falsa, quia sen-
sus esset. *Hic panis est corpus, hoc vinum est*
sang-

sanguis meus. Quod æquè implicat, ac hircini esse cervum. Adde quod evidenter falsum sit, quòd panis sit *corpus pro nobis traditum*, vinum sit *sanguis pro nobis effusus.* De ejusmodi tamen corpore & sanguine intelligi debent verba consecrationis. Ergo pronomina *hoc, hic* non denotant panem & vinum, sed aliam substantiam sub eorum accidentibus. Admittunt Lutherani propriam acceptionem pronominis *hoc & hic*, nec volunt ea sumi improprie, uti Sacramentarii accipiunt, quos Lutherus ideo vocat *Lügen-Meister, Keetzer-Meister, &c.* & tamen dum hic urgentur argumento Catholicorum; dicunt sensum esse, in hoc pane continetur corpus, in hoc vino sanguis Christi. Sicut de dolio vel vitro vini dicitur, hoc est vinum, & sic contra propria sua principia *hic & hoc* volunt sumi adverbialiter, ne cogantur fateri verba consecrationis esse falsa. Miseri homines voluerunt faciliorem captu inducere fidem; cò quòd corpus & sanguis gustum, odorem, speciem panis & vini habeat. Interim & propria & sanæ rationis principia evertunt. Adducunt pro se textus aliquos mutilos vel hominum etiam suspectorum de hæresi. Sed hi & quicumque demum nil contra aliquam traditionem & Ecclesiæ ab initio usque huc doctrinam efficere possunt. Substantiam etiam quidam acceperunt pro accidentibus, sicut substantia hominis per peccatum originale dicitur esse depravata, per quod tamen nil aliud intelligitur, quàm quòd accidentia, quæ homini inerant, sint deperdita.

dita. Demum Ecclesia semper credidit substantiam panis & vini per consecrationem converti in corpus & sanguinem Christi, & manere tantum species panis panis & vini. Quam conversionem substantialem ut melius exprimeret; in Conc. Lateranensi quarto sub Innoct. 3. c. 10 appellare coepit *transubstantiationem*. Ferè sicut licet Ecclesia jam ab ante crediderit Filium esse æqualem Patri, B. V. Mariam esse veram Dei matrem Concil. Nicænum ad clariùs æqualitatem exprimendam excogitavit vocabulum *Homousios* & Concil. Ephes. vocem *Deoticos* ad exprimendam clarè maternitatem Dei. Hinc eadem est responsio ad modernos Hæreticos, qui conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi negant. Eò quòd *transubstantiatio* non inveniatur in Script. quam ipsi admittentes Deum Trinum & unum veteribus Hæreticis unâ nobiscum dare debent, & dederunt Majores nostri, nempè quòd res habeatur in Script. & voces ejusmodi ad clariùs eam exprimendam à PP. & CC. assumptæ sint. Nec hinc litigium de voce esse debet. Quæritur an à parte rei non fiat mutatio unius substantiæ in aliam, ut per traditionem accepit Ecclesia. *Panis est,* ait Ambros. l. 4. de Sacramentis c. 4. *ante verba, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Ergo sermo Christi hoc consicit Sacramentum. *Quis sermo? nempè is, quo facta sunt omnia. Fuisse Dominus, & factum est calum, terra, maria. Si ergo tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent*

rent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur.

2do. Quando semel à via veritatis, & certis ejusdem indagandæ aut tuendæ regulis disceditur. Semper, ut sæpiùs monui, fit lapsus in errores majores, sicut ducentæ interpretationes horum verborum *hoc est Corpus meum*, jam ab Anno 1570. tum à Calvinistis tum à Lutheranis fabricatæ sunt. Ità pariter à Lutheranis diversæ fiunt interpretationes horum verborum: *Accipite, manducate, bibite*. Et hinc aliqui inde inferunt, corpus & sanguinem Christi non adesse extra usum, seu sine actuali manducatione & bibitione, alii his contradicunt, Omnes quo determinato tempore Christus ponatur Sacramentaliter vel maneat, divinant variè, & nullus certum tempus determinare potest. Chemnitius dicit Christum esse præsentem durante actione Sacramentali, quæ tres juxta ipsum involvit partes *consecrationem, distributionem, manducationem*. Nec debere ulteriùs inquiri, an adsit Christus, dum deglutitur in gutture, vel etiam ventriculo comedentis. Gerardus etiam Christum adesse & manere dicit, si benedictus panis sine magna interposita mora ad ægros deferatur. Quomodo jam Lutheranus unus alium sibi hac in materia contradicentem ex sola Scriptura convincet? Catholici constanter credunt, quòd in hac materia primitivi Christiani crediderunt, pronuntiatâ scilicet ultimâ verborum consecrationis syllabâ adesse corpus & sanguinem Christi, & tam diu manere,

re, five S. Hostia ponatur in Sacrario, five exponatur adoranda, five feratur ad agrotum, five circumferatur in Processione; quàm diu manent species panis. Quòd pronuntiatâ ultimâ syllabâ verborum consecrationis adsit Christus, exinde etiam patet, quia aliàs verba Christi, quæ non dicunt, hoc erit, sed *hoc est Corpus meum*, pro instanti, quo prolata sunt, non essent vera. Nec additur à Christo conditio hæc: *Si statim manducabitis*. Et sanè si Apostoli nolissent manducare, statim atque Christus dixit: *Hoc est Corpus meum*, vel tali casu fuisset sub pane aut speciebus Christi corpus vel non. Si fuisset, haberetur intentum, si non, Christus falsum dixisset. Quod repugnat. Christus porrigendo calicem NB. expressè addidit particulam causalem *enim* Matth. 26. quæ indicat rationem & causam, cur biberint, quia nempè ante bibitionem jamtum erat sanguis Christi. *Hic est enim sanguis meus*. Et si per manducationem fiat præsens corpus Christi, jam non Sacerdos, sed manducans conficit Sacramentum. Adhæc consecratio, distributio, manducatio, delatio ad agrum successivè ponuntur, vel ergo etiam sic successivè formatur Christus, sicut embrio in ventre matris. Quod est absurdum, vel unâ vice fit præsens, dum delata ad agrum hostia vel panis ab eo sumitur, quod non audebunt dicere miseri hallucinatores, quia dicunt, quòd Christus verè sit præsens durante actione Sacramentali. Quod, si jam præsens est ante delationem & sumptionem

308 *Pars secunda de elevatione*
ab agro. Ergo Sacramentum Eucharistiæ est
permanens saltem aliquo tempore, & sic non
consistit in ipso usu, ut contendunt Adversarii.
Gerardus respondet has esse argutias, quibus
moveri non debeat Christiana simplicitas, ut
se ex iis extricare non possit. Sed hem homo
miser derelicta via regia jam ubique offendens
& exerrans. Si simplex & rectus corde vis esse,
cur deseris antiquam traditionem & doctri-
nam? an credet homo prudens tuæ phantasticæ
opinionis novæ? in qua nequidem convenis
cum cæteris, qui etiam se Lutheranos dicunt,
dum, quando solida contra te argumenta allata
non valens solvere, nec sensa tua ex verbo Dei
probare, nihilominus jubes tibi simpliciter
credendum esse. Est ergo Sacramentum Eu-
charistiæ quid permanens, & datur etiam extra
usum. Et hinc teste Irenæo Epist. ad Victorem
Papam summi Pontifices soliti sunt hostiam
consecratam mittere aliis Episcopis in signum
pacis & communionis. *Insaniunt igitur, ait*
Cyrrill. Alex. Ep. ad Calosyrium Episcopum,
dicentes mysticam benedictionem à sanctificatione
cessare, si qua reliquia remanserint ejus in diebus
subsequentem. Demum quid aptius & efficacius
de traditione & doctrina veterum Chri-
stianorum in præsentis controversia adduci po-
test? quam quòd Euthimius apud Canisium in
Panoplia Tit. 21, adfert ex S. Greg. Niss. serm.
Catechet. de transmutatione Domini corporis.
Sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per
verbum Dei & orationem sanctificatur; non quia
NB.

NB. *Comeditur*, eò *progrediens ut verbi* (Christi scilicet) *corpus evadat*; sed *statim per verbum in corpus mutatur*, ut dictum est, *hoc est corpus meum*. Ità hæretice Cavillator post *to um* pronuntiatum adesse Christum credimus, quia sic vera est propositio ista Christi, & sic ab initio usque huc vera Dei credit Ecclesia.

De Eucharistia asservatione, adoratione, circumductione.

3tiò. **E**T quia tempore Apostolorum scripsit Clemens I. 8. Constat. ut citat Glossa Epistolæ ad Victorem Papam à S. Irenæo scriptæ. *Postquam omnes communicaverunt, inferant Diaconi reliquias, qua supersunt in Pastrophorion.* Quid obsecro ex sana ratione vel venerabili antiquitate adferri potest? quod damnet asservationem Eucharistiæ in sacrario vel tabernaculo? & quid obstare potest? quò minus Christus ibidem, vel etiam publicos inter honores & applausus & varia venerationis signa (ut sunt genuflexio, rursio pectoris, accensæ faces ac luminaria, explosio sclopetorum tormentorum bellicorum, sonitus campanarum) in circumgestata sacra hostia adoretur. Nonne scriptum est? *Dominum Deum tuum adorabis.* Matth. 4. Atqui in ea est Dominus Deus ergo. Cùm aulici cujusdam Germaniæ Principis Aetholici unâ cum ipso viderent has solennitates in circumlatione V. Sacramenti à Catholicis fieri; idque sarcasms & convitiis impeterent.

peterent. Jussit Princeps eos silere cum dicto.
 Catholici credunt in hostia illa præsentem esse
 Christum Redemptorem nostrum, adeoque
 jure omnia lætitiæ & honoris signa exhibent,
 nec D. N. J. Christo sufficientia debita venera-
 tionis indicia præstare possunt. *Hoc Corpus*
(dicit Chrysost. hom. 24. in 1. Cor.) etiam ja-
cens in præsepi reveriti sunt Magi. Tu autem non
in præsepi vides, sed in Altari. In hostia cir-
 cumlata. *Nos ergo majorem, quam illi Barbari*
ostendamus reverentiam. Et August. in Pl. 98.
Nemo illam carnem manducat, nisi prius adora-
verit. Non solum non peccamus adorando, sed
peccamus non adorando. Et si 2. Reg. 6. & 7.
 & 3. Reg. 8. placuit Deo *circumgestatio* Arca
 cum pompa, plausu, & David ludens cytharâ
 ante eam & saltans, quæ nemine contradicente
 figura erat S. Eucharistiæ. An non magis pla-
 cebit adoratio, venerabunda circumgestatio
 ipsius figurati divinissimi scilicet. Sacramenti?
 in quo latet humanitas Christi divinitati hypo-
 staticè unita. Maximè cum rudiores sic faciliùs
 & meliùs discant præsentiam realem Christi in
 hoc Sacramento [quæ iis sive ante sive tempo-
 re processionis in diversis locis, ubi benedictio
 datur, explicatur] & ad devotionem benedi-
 ctionemque à Deo Eucharistico efflagitandam
 moveantur. Sicut & discunt devotè venerari
 alia mysteria Passionis, Redemptionis Ascensio-
 nis Christi; dum in Processionibus appatu
 his mysteriis accommodato ea proponuntur,

Quæres an totum Sacramentum Eucharistiæ [quod constat ex corpore & sanguine Christi, speciebus panis, &c.] adorandum sit. R. Sic totum hoc Sacramentum, prout species simul complectitur, adoratur. Sicut Christus adhuc in terra existens adorabatur in & cum vestibus. Christus adoratur cultulatræ per & propter se propriè & absolutè. Vestis ejus adhuc in terra existentis, species, sub quibus latet in Eucharistia, adorantur impropriè & respectivè propter Christum aliquomodo ipsis unitum non cultulatræ, sed minore, religioso tamen.

Objectio generalis Sectariorum est. Christus dixit: *Accipite, & comedite*, non dixit: *asservate, circumgestate, adorare*. Et pronuntiavit hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, inter actualem manducationem. Ergo non nisi manducari debet, nec est præsens extra actualem manducationem. R. 1. Hoc non potest esse argumentum generale omnium Lutheranorum; quia dum fertur ad ægrotum Eucharistia, non est in illa circumlacione actualis manducatio. R. 2. Christus etiam fregit panem & dixit: & tamen fractio non est de essentia actualis præsentia Christi. R. 3. Discrimen esse faciendum inter ea, quæ spectant ad essentiam, & quæ ad usum hujus Sacramenti. Ad essentiam spectat consecratio materis aptæ, & horum verborum *hoc est Corpus meum*, prolatio. Ad usum spectat manducatio; quia institutum est ad reflectionem animæ per modum & symbolizationem cibi. Sicut igitur cibus materialis est cibus; etiam si

etiamsi illum non statim, imò nunquam sumamus. Ità hìc. Et à Lutheranis libenter scirem, quantum temporis spatium intercedere debeat inter consecrationem & manducationem? an quadrans, an media hora, an integra? & si integra non est nimium spatium; cur non & sesqui hora? si hæc, cur non & duæ? si istæ, cur non & medius vel integer dies? quidquid determinaverint, gratis determinabunt, & sine ullo Script. textu, à qua tamen omnia credenda deduci volunt. Quàm expeditè autem ad hanc doctrinam antiquam & veram Ecclesiæ respondet Catholicus? tam diu scilicet manere Christum sub speciebus, quàm diu hæc manent.

R. 4. Quamvis ex ordine verborum Script. simul videantur esse verba prolata, & statim manducatio secuta, id tamen, cum nec ipsi observent Lutheranis, sed successivè dent panem suis, nec dum eum distribuunt, cum aliis manducant, non est de essentia Sacramenti. R. 5. Licet Christus non dixerit *Adorate*, id tamen etiam non prohibuit. Et an non, ut paulò antè dixi, præceptum est, ut Dominum Deum tuum adores? sic cum etiam Christus non prohibuerit circumgestationem SS. Sacramenti. Quo jure tu damnas venerandam & tam antiquam Christianorum consuetudinem, & Ecclesiæ universalis praxin ac devotionem? quæ ex justissimis supra allatis causis instituitur. Christus non dixit: *Manducate statim, si non manducatis, non est Corpus meum*, sed simpliciter dixit: *Hoc est Corpus meum*, abstrahendo, an statim

an post aliquod tempus absumatur ; vel etiam aliquæ particulæ consecratæ asserventur. Tu dicis, quòd hoc omne observari debeat, quod fecit Christus instituens Sacramentum, & nihil præterea. Sed Christus id instituens etiam lavit pedes Discipulorum, & dixit : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum egi feci vobis, ita & vos faciatis.* Joan. 13. Deinde fregit panem. Matth. 26. an jam sine lotionè pedum & fractione panis non erit actio Sacramentalis?

De sumptione Christi sub utraque specie.

4^{to}. **A** Pud vulgus plausibilis est controversia, an Christus sumendus sit sub utraque specie. Sed immeritò desuper imperitum sibi applaudit Lutheranum vulgus, vel etiam aliorum ad fundum non introsipientes. Partim quia apud Lutheranos aliosque Sectarios ob defectum legitimorum Sacerdotum non nisi panis & vinum sine mica corporis & sine gutta sanguinis Christi distribuitur. Partim quia ubi est verum corpus in hostia, verus sanguis in calice, ibi quoque est totus Christus ; adeoque non defraudatur sumens sub una specie. Partim quia Lutherus ipse falsus est nullum esse divinum præceptum aut necessitatem utriusque speciei. Ait enim Ep. ad Bohemos Christus hæc in re nihil tanquam necessariam præcepit. *Præstaret & pacem & unitatem, quam Christus ubique præcepit sectari, quam de speciebus contendere.* Nunquam tam moderatè hic Pseudo-Apostolus locutus

○

cutus est. Alium spiritum ostendit rusticos contra Dominos animans, & summa quæque coronata capita spurcis convitiis aggrediens. Sed & dum causam, cur utramque speciem uterit, de formula Missæ reddidit, omnis statim mansuetudinis & ingenuitatis oblitus est dicens: si quo casu Concilii alicujus autoritate statueretur aut permetteretur utraque species, *tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri, imò tunc primum in despectum tam concilii, quam statuti sui vellemus aut alterutrâ aut neutrâ potiri.* En contumaciam & libidinem contradicendi Ecclesiæ! si neutrâ vis potiri unquam Luthere. Ergo manifestè agis contra præceptum Domini. Et vel est præceptum Christi, ut sub utraque specie eum sumamus vel non. Si non, cur tu vis præcipere, quòd Christus reliquit liberum? si ità, cur vis te opponere mandato Christi? ecce talis homo vocatur à suis: *Der theurer vverther Mann Martin Luther.* Sed nos redeamus ad examen, an Christus præceperit, ut sub utraque specie sumatur. Catholica Ecclesia dicit, quòd non. *Primò.* Quia tale mandatum divinum, ut ipse etiam Lutherus fatetur, non datur, *2dò.* Quia Scriptura Joan. 6. licet utriusque speciei mentionem faciat, tamen quater promittit vitam æternam sub una specie communicantibus. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. V. 52. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ibid. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. V. 59. Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso man-*
duca-

ducaverit, non moriatur. V. 50. 3tio. Quia exemplum Christi & Apostolorum habemus. Nam Christus duobus Discipulis in Emaus Luc. 24. dedit Eucharistiam sub una specie, quia textus tantum facit mentionem panis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. V. 30. Pari modo Apostoli fidelibus distribuabant Eucharistiam sub specie panis tantum. Erant autem perseverantes NB. in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis. Act. 2. v. 42. & v. 46. Erant frangentes circa domos panem. Per fractionem intelligitur hic distributio Eucharistici panis juxta illud: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Item: Una autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem. Act. 20. v. 7. Licet autem Novatores unum alterumve ex allatis textum aliter explicare velint; remanet semper insolubile supra allatum argumentum; quod sic ab initio usque huc CC. & PP. textus citatos intellexerint, ut modò intelligit Ecclesia Romano Catholica primævæ Ecclesiæ traditionem servans. Contra quam velle cum Novatoribus [qui nullum legitimæ suæ à Deo vocationis signum ad Ecclesiæ, in qua nati erant, & à qua Scripturam acceperunt, contradicendum adferre potuerunt aut possunt] sentire, supremæ teste Aug. dementia est & arrogantia. 4to. Quia hæc fuit praxis Ecclesiæ, ut in primis sæculis sub una specie sumeretur Eucharistia v. g. in gravi

gravi persecutione, in navigatione longa, Imò extra has circumstantias praxis erat hostiam consecratam deferre domum, & sic Eremitæ passim eam deportabant ad suas eremos, ut suo tempore se illâ reficerent. V. Tertull. l. 2. ad uxorem c. 15. S. Cypr. de lapsis in Orat. funebri de excessu Satyri. Basil. Ep. ad Cæsariam Patritiam. Apud Canisium invenies plurimos & benè longos ejusmodi textus. Eucharistia olim etiam fuit data infantibus, & his sacer sanguis instillabatur teste Cypr. Græci per 4 dragesimam totam excepto die Dominico & Sabbatho communicabant ex præsanctificatis sive solis hostiis alio jam die consecratis. V. de hoc usu Conc. Laodic. Can. 49. Conc. Trull. Can. 51. Innocent. 1. in Ep. 1. c. 4. *scilicet*. Si jam verè dedisset Christus præceptum de utraque specie omnibus sumenda: Utiq; illud à primis temporibus novisset sanè & observasset Ecclesia; quis enim credat Deum posse permittere; ut Ecclesia non agnoscat tanto tempore aliquod præceptum sui Sponsi necessarium ad salutem? quid multis? primis sæculis res erat adiaphora corpus Christi sub una vel altera aut utraque simul à Laicis summi, & cùm Christus unum vel alterum præcisè non præceperit, Ecclesiæ competit utique sive eam Regentibus, determinare ex Vicaria Christi potestate hoc vel illud, prout circumstantiæ congruentiæ & rationes exigunt. Et hinc Paulus 1. Cor. 4. dicit: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Quâ potestate ordinandi circa hoc ipsum, de

de quo agimus, Myſterium uſûs eſſe creditur 1. Cor. 11. ſic ſcribens : *Cætera. cùm venero, diſponam.* Pro diſtrictu Romano ad aliquod tempus à Gelafio Papa imitante exemplum S. Leonis Martyris, ut docet Baron. ad annum 496. præceptum fuit, ut ſumerent fideles utramque ſpeciem. Cujus rei ratio erat, ut dignoſcerentur Manichæi, qui ſub ſpecie vini communicare nolebant; eò quòd vinum abominarentur tanquam creaturam malam à Diabolo productam. Apud Catholicos enim antecederet moris erat ſub una ſpecie panis communicare, & ſic Manichæi inter illos latentis accedebant cum iſtis ad Communionem. Donec ad varias inconuenientias, irreuerentias præcavendas, quæ v. g. per effuſionem ſanguinis contingebant, item etiam, quia vinum ubique haberi commodè in tanta quantitate non poterat, item aliqui ex naturæ inclinatione horrebant vini ſaporem, vel ex eodem calice bibere, ex quo morbis infecti, aut homines ſordidi præbiberant. Conc. Conſtantienſe Sefſ. 13. & Trid. Sefſ. 21. ſub ſpecie tantùm panis præcepit Laicis dari Euchariftiam. Et ſicut Eccleſia ratione hujus Sacramenti varia ex cauſis juſtis ordinavit v. g. *Circa perſonas*, ut non ampliùs infantibus detur Euchariftia. *Circa tempus*, ut, cùm primis temporibus quotidie daretur Euchariftia, poſtmodum circa annum Chriſti 250. præceptum ſit, ut quilibet ſaltem ter in Anno feſto Nativ. Chriſti, Paſchatis & Pentecoſtes eam ſumat. Et demum nunc præceptum Eccleſiæ tantùm obliget ad

unicam in Paschate Communionem. Cur non etiam *circa modum* nullo expresso mandato divino desuper existente ordinare potuit ex causis justis supra allatis? ut tantum Eucharistia à Laicis sub specie panis deinceps sumatur ordinariè. Objectiones Sectariorum satis solvi possunt ex hætenus allatis. Multum clamoris, sed non lanæ faciunt in hoc, quod licet sub una specie sumatur Christus, *Sacramentaliter* tamen sub specie panis tantum corpus. Sed quid per *Sacramentaliter* re ipsâ velint, cum fateantur totum Christum sub una specie percipi, ipsi non explicant, nec explicare possunt. Dicant ergo de plano cum Catholicis summptionem Christi sive sub specie panis sive sub specie vini vocari *Sacramentalem* ideo, quia anima per eam acquirit gratiam sanctificantem & spiritualiter reficitur. Quippe Sacramentum est *signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis*. Si qui SS. PP. dicant necessariam esse Communionem sub utraque specie. Vel loquantur de Sacerdotibus actu sacrificantibus; vel quòd tam bene corpus quàm sanguis Christi reapse sumatur. Vel de illis temporibus, quando hæc & nunc id in hoc vel alio loco erat in usu, vel etiam sub præcepto sumptio sub utraque specie ut supra dictum. Porrò utraque species unum tantum conficiunt Sacramentum, quia referuntur ad unam refectionem, quam plenius significatur utraque simul. Sub una tamen etiam continetur resectio. Conc. Claromontanum iussit sub utraque specie sumi Christum, quia propria
auto.

autoritate quidam ad impediendam effusionem sanguinis in usum introduxerant panem consecratum intingere calici consecrato, & sic dare communicantibus. Istum usum prohibuit concilium, & communicaturis sub utraque specie utramque voluit seorsim dari.

De Ubiquistis.

510. **C**ONTRA hos multa adduci possunt. Modò sufficiat contra Lutheranum Ubiquistam: quòd eo ipso, quo admittit humanitatem Christi ob unionem cum verbo divino esse ubique; eò quòd divinitas ei unita sit; quòd inquam eo ipso tollat Eucharistiæ mysterium & usum. Nam in mysterio Eucharistiæ juxta ipsum ponitur corpus & sanguis Christi, item manducatur corpus, & bibitur sanguis Christi. Poni autem in pane & vino Christum, est prius ibi non fuisse, esse autem nunc, & manducare est aliquid accipere in os, de ore deglutire, & in stomachum dimittere. Quod prius ibi non fuit. Atqui juxta Ubiquistam jam ab ante corpus & anima Christi erat ibi. Ergo. Dicere, quòd prius per consecrationem ponatur & manducetur Christus *Sacramentaliter*, est nihil dicere, ut paulò ante monui. Saltem Christus verè realiter & substantialiter nec ponitur nec manducatur, quia jam ab ante ibi erat. Quod tamen Lutherani mordicus contra Calvinistas tuentur. Et si nihilominus sive non obstante ubiquitate adhuc verè bibitur sanguis Christi

in calice, & manducatur corpus in consecrata hostia. Ergo etiam in quolibet cremato alioque potu bibitur Christus, & in quolibet farcinine manducatur. Demum si Iob unionem humanæ naturæ Christi cum verbo divino ubique præsentem humanitas est ubique præsentis. Ergo hoc non tantum verum est in statu *exaltationis* Christi, sed etiam *exinanitionis* Christi, quod tamen non sustinent Adversarii. Quia eadem ratio scilicet unio humanitatis cum divinitate militat pro utroque statu. Et sic Christus nec natus est, nec descendit ad inferos, nec resurrexit, nec ascendit in cælum, quia ut hæc omnia vera sint, ab ante ibi humanitas Christi fuisse non debuit. Et cum post Christi resurrectionem ejus divinitas fuerit in sepulchro, etiam ibi fuit Christus quæ homo jam à morte resuscitatus & vivus. Atqui hoc apertè pugnat contra Angelum dicentem Luc. 24. v. 6. *Quid queritis viventem cum mortuis? non est. NB. hic, sed surrexit.*

4to.

Stabilitur Sacrificium Missæ contra Sectarios, quorum aliqui non valentes solvere argumenta probantia ipsos veros non habere Sacerdotes dicunt, in lege Christi nec dari Sacerdotem præter Christum, nec

Sacrificium præter id, quod cruentum semel

Christus in Cruce obtulit, etiam contra

Missam privatam varia effutiunt.

Sacrificium propriè dictum in genere definitur esse oblatio externa facta soli Deo, per quam

quam à legitimo Ministro res aliqua sensibilis per immutationem ritu mystico consecratur in recognitionem supremi domini, quod Deus habet in vitam & necem. In V. lege Sacrificium variè divisum fuit tam ratione materiæ, quàm ratione formæ. Ratione materiæ aliud vocabatur *Hostia* vel *Victima*. Quando scilicet animalia ut agnus, taurus mactabantur Deo. Aliud *Immolatio*, quando offerebantur res inanimatæ, sed solidæ: ut fruges, panis, thura. Aliud *Libamen*, quando offerebantur res inanimatæ, sed liquidæ, ut vinum, oleum, sanguis per effusionem in terram. Ratione formæ aliud Sacrificium vocabatur *Holocaustum*, quando res oblata destruebatur tota per ignem, ut resoluta in fumum in cælum ascenderet. Aliud *Hostia pro peccato*, quod offerebatur pro peccatis externis tantùm & legalibus. Res oblata autem partim cremabatur partim cedebat in usus Sacerdotum. Aliud *Hostia pacifica*, quod offerebatur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis tum acceptis tum accipiendis, ac una pars ejus comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum. Tertia in usum eorum, qui talem rem donabant. Et hæc omnia Sacrificia fuerunt figuræ magni illius Sacrificii, quod Christus Dominus æterno Patri obtulit in Cruce, & alterius, quod in nova lege continuè & ubique repetitur, scilicet Sacrificii Missæ, quod in substantia (scilicet ratione offerentis principalis & hostiæ) est idem cum Sacrificio Crucis. Differt tamen in modo, nam istud cruento modo fuit oblatum,

illud verò offertur in pane & vino modo incruento. Utrumque & cruentum & incruentum Sacrificium novæ legis eas dotes modo eminentiali continet, quas Sacrificia veteris legis [quæ omnia præsentem figurato cessant] habebant singula. Unde est *1. mō Latreviticum*, seu summum Deo honorem & divinum defert profertendo supremum ejus dominium. *2. Eucharisticum*, quia gratias rependit æterno Patri pro beneficiis humano generi collatis. *3. Propitiatorium*, quia hominem conciliat Deo. *4. Satisfactorium*, quia delet pœnas peccatorum, & ideo etiam prodest Defunctis. *5. Impetratorium*, quia impetrat varia & summa à Deo beneficia. Sectarii has prærogativas agnoscunt in sacrificio Crucis cruento, abnegant incruento apud Catholicos Missæ sacrificio. Imò abominandam id esse idololatriam & notam Antichristi maligno & blasphemio ore effutunt. Sed verum esse Catholicum dogma patet *1. mō* ex eo, quod ipse Christus tali incruento modo se ipsum obtulerit Deo Patri, Equidem unâ oblatione cruenta in Cruce teste Apost. consummavit universa, in quantum erat Sacerdos per Aaron, qui cruenta Deo offerebat sacrificia, præsentatus. Sed in quantum à Davide & Paulo appellatur *Pf. 109. & Hebr. 5. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, etiam aliquando ut Melchisedech consecrare debuit. Qui protulit [id est juxta Cyprian. 1. 2. Ep. 3. aliosque PP. & meliores interpretes] *obtulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Hæretici quidem vertunt

vertunt, *Et erat Princeps Dei.* Sed imperitè,
nam & *copulativum* apud Hebræos frequentissi-
mè usurpatur pro causali *enim* vel *quia*, & He-
bræum *cohen* magis propriè & sapiùs Sacerdo-
tem nec nisi uno alterove loco 2. Reg. 8. v. 18.
& II. 61. v. 6. *Principem* significat, & ex con-
textu satis colligitur Moysen voluisse per *Cohen*
intelligere Sacerdotem, quia jam ab ante Re-
gem vocaverat Melchisedecum, & postquam
eum Sacerdotem nominârat, subdit, quòd be-
nedixerit Abrahamo, & ab eo decimas omnium
acceperit. V. plura in Tirino hìc c. 14. Gen.
v. 18. nec merentur quoad hoc Hæretici respon-
sionem ulteriorem. Nam meliores interpretes
SS. Patres omnes & Doctores ità textum hunc
explicantes novatorum critirio utique praefer-
endi. Nec hoc præcisè textu Catholici indi-
gent ad probandum incruentum novæ legis sa-
crificium. Christus fuit indisputabiliter Sacer-
dos secundùm ordinem Melchisedech dicente
Psalmistâ ex persona Patris ad Filium. *Ante
Luciferum genui te, tu es Sacerdos in aeternum
secundùm ordinem Melchisedech.* Cùm ergo
Melchisedech fuerit Sacerdos & Christus secun-
dùm ejus ordinem, ostendatur aliud fuisse sa-
crificium Melchisedeci quàm in pane & vino,
& aliud tempus ex Scriptura, quo Christus ut
talis Sacerdos sacrificavit, quàm in ultima cœ-
na, in qua panem, quem in suum corpus con-
vertit, priùs benedixit, fregit, & dixit: *Hoc
est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Et ac-
cepto calice: *Hic est sanguis meus, qui pro mul-*

vis effundetur. Græcus textus habet *effunditur*, scilicet nunc in ultima cœna, & postea effundetur in Cruce. Cardo rei sine dubio in hoc vertitur. An *to datur, effunditur*, idem hic loci sit ac *immolatur, sacrificatur*, etiam in ultima cœna, quia exinde sequitur sacrificium incrementum secundum ordinem Melchisedech in eadem cœna præcessisse sacrificium cruentum in Cruce secundum ordinem Aaron, & hoc ipsum ex contextu probatur sequenti entymemate. Christus, ut ex contextu patet, non tantum instituit Sacramentum sub specie panis & vini ad refectionem scilicet spiritualem. Ergo & simul ut sacrificium. Prob. antecedens: Si tantum ut Sacramentum distribuisset Discipulis suis corpus suum & sanguinem ad sumendum; debuisset præcisè dicere: quod *vobis*, quod *multis datur* non adjectâ præpositione hæc notabili *pro vobis, pro multis*. Sed quia illam addidit, quid aliud sequi potest? quàm quòd corpus suum & sanguinem jam ante sacrificium cruentum obtulerit in ultima cœna æterno Patri modo incrementum sub speciebus panis & vini, & hoc ipsissimum est sacrificium Missæ, quia ejus essentia consistit in immolatione Christi per consecrationem panis & vini. Et hæc oblatio corporis ac sanguinis facta est à Christo, antequam Discipulis suis id daret ut Sacramentum sive cibum animæ. Nam Marci 14. v. 24. sic legis: *Dedit eis, & ait: Hoc est Corpus meum, quod jam tum scilicet sub specie panis me volente adest. Et accepto calice gratias agens dedit eis,*

& biberunt ex illo omnes, & ait illis: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui [sicut modò præsens, ità paulò pòst pro multis effundetur. Nec fuit contentus, quòd ipse sic primum sacrificium obtulerit incruentum, sed id ipsum repeti voluit à suis Discipulis, atque horum Successoribus dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22. Idque usque ad finem mundi. Aliàs enim non esset Sacerdos in æternum. Nam post mortem suam utique non ampliùs visibiliter sacrificat per se, sed per Sacerdotes, Vicarios suos. Qui cùm Christum non possint imitari in sacrificio cruento secundùm ordinem Aaron; Hoc enim Christus semel fecit Hebr. 1. debent eum imitari in æternum, hoc est usque ad finem mundi in sacrificio incruento, quod obtulit in cœna ultima in pane & vino secundùm ordinem Melchisedech. Et sic hæc dicta explicant Hieron. Aug. Cyprian. & cæteri PP. Et id confirmatur primò ex Ep. Pauli jam citata ad Hebr. ubi c. 13. Christiani dicuntur habere Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Hoc est, qui Sacerdotes sunt L. V. secundùm ordinem Aaron. Si enim Christiani habent Altare, ergo Sacrificium ac Sacerdotes. Quia hæc tria sunt correlativa. Ubi nota, quòd in sacrificio Missæ reperiantur omnia ad essentiam sacrificiì propriè dicti spectantia. Nempè Sacerdos Altare, res oblata sensibilis, oblatio Deo facta, rei oblatae quædam immutatio & destructio. Nam Physicè destruitur substantia panis & vini.*

Moraliter destruitur hostia seu Christus, quatenus ponitur quidem vivus modo tamen mortuo ob penetratas inter se partes. Item occiditur mysticè per verba consecrationis, nam verborum sanguis & corpus separatim ponuntur, licet concomitanter re ipsâ totus Christus sit sub utraque specie.

Confirmatur 2dò ex celebri vaticinio Malachi, c. 1. ubi Deus de futuro novo sacrificio in gentibus loquens dicit ad Judæos: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manibus vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & omni loco sacrificatur & offertur in nomine meo oblatio munda.* Apertè hoc abrogationem sacrificiorum V. L. denotat, cum Deus dicat se non amplius habiturum complacentiam in illis, & addat sacrificari sibi apud gentes in omni loco. Quale non erat sacrificium Judæorum in sola Judæa vel Jerusalem. Non potest etiam oggeri per sacrificium in gentibus & in omni loco intelligi eleemosynas, orationes à fidelibus sive conversis ad Christum gentilibus Deo oblatas. Nam & hoc Judæi faciebant & modò faciunt, & quia Sectarii nostri temporis sustinent preces, eleemosynas, omniaque bona opera immunda esse imò peccaminosa, multò minùs ea quadrare possunt sacrificio per Malachiam hìc prædicto, quia id dicitur esse *Oblatio munda.* Quid ergo aliud superest? quàm sacrificium incruentum, & sub specie panis & vini Christus ipse mundissimus oblatus Deo ab ortu solis usque ad

ad occasum in gentibus. Ubi nota, quod licet hebraicum verbum *Mincha*, sive oblatio in genere *munus* seu *donum* significet, à Deo tamen approprietur particulari speciei sacrificii, ut apud Tatinum vide c. 2. Levit ex pane vel farina confecti. Quod peraptè accedente juxta c. 15. Num. v. 5. ordinario libamine vini, typus erat oblationis mundæ à Malachia prædictæ sive sacrificii novæ legis Eucharistici, in quod unum & solum omnia jam dicta quadrant.

Confirmatur 3tio. Et solidissimè argumento Bellarmini supra adducto probatur hæc veritas Catholica, quod ea habeatur per traditionem ab Apostolis, primis Christianis, & primævis Christianitatis sæculis. Cùm Adversarii probare non possint, quo demum sæculo sacrificium illud incrementum in Ecclesia offerri cœperit. De sacrificio loquor non orationibus vel aliis Missæ partibus successu temporis auctis vel additis. De quo vide parte tert. c. 3.

Confirmatur 4to. Sacrificium istud primitùs celebratum fuisse testantur Liturgiæ, sive Missæ Apostolorum Petri, Jacobi, Matthæi, Marci Evangelistæ. Præsbyteri Achaïæ idem in vita S. Andreæ confirmant referentes verba hujus morituri Apostoli. *Ego omnipotenti Deo omni die sacrifico non taurorum carnes, sed immaculatum agnum in Altari, cujus carnes, postquam omnis populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit. Agnus, qui immolatus est, integer perseverat & vivus.* S. Clemens Petri Discipulus Ep. 3. de off. Sacerd. id testatur dicens:

In aliis locis sacrificare, & Missas (en nomen Missa jam posuit versor in Ecclesiae primordio) celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jusserit, aut qui ab Episcopo consecratus fuerit (ecce quae in Ecclesia Rom. Catholica Episcopis solis adhuc conveniunt) haec Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt. Haec nos docemus, vobisque mandamus. Et l. 6. constit. Apost. cap. 23. Pro Sacrificio cruento rationale & incruentum ac mysticum Sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur. Sic Dionys. Areopag. Apostolis coævus, sic Ignatius Martyr, Justinus Martyr, aliique PP. in primis saeculis, & alii ex post SS. PP. & CC. in sequentibus locuti sunt, ut passim videre est apud Autores. Jam miseri Hæretici recolligite vos paulisper & videte, quae vos furiae agant, & quomodo Diabolus indurata vestra seduxerit corda in vestram æternam perniciem, ut sacrificii fructibus non fruamini, quos Deus ex infinito in genus humanum amore tam copiosos offert. Cur obsecro cum solo Dei verbo inniti vos dicatis, & verba Christi & Apostolorum in novo testamento tam clara sint, ea in sensu improprio vultis intelligi ob autoritatem Calvini alteriusque Sectariorum primipili? & non potius defertis venerandæ toti retro antiquitati & unanimi SS. PP. & generalium CC. autoritati? si horum omnium interpretatio de verbo divino facta, & à primævis Majoribus accepta ideo vobis non convincit, quia est interpretatio hominum, quam tamen ob

pro-

promissam à Christo Spiritûs S. assistentiam in œcumenicis conciliis Catholici jure summo divinâ sustinent auctoritate fultam. An ergo Dei verbum in sensum Metaphoricum detorquens Calvinus, postquam hæresin de figura Christi in pane consecrato, inchoatam jam ante tot sæcula, revexit, ex tripode ipsius SS. Trinitatis loquitur? fatetur ipse, ut sæpius studiosè promateria substrata in hoc libello inculco, in primis quatuor sæculis Ecclesiæ dogmata fuisse in corrupta. Ergo quad præsentem controversiam cum 4. sæculorum primorum dogmate conspirate. Ubi mens, ubi ratio, ubi consilium? fuitne ulla unquam etiam in gentilitate, si ita loqui licet religio? quæ non putarit Sacrificium aliquod Divinitati offerendum. Nunquid primis à mundo creato temporibus Abel & Cain obtulerunt Deo sacrificium? quod sana ratio & divinus instinctus Abelem ejusque sequaces Henoch, Noë, Abraham, Isaac, Jacob docuit. Hoc Deus explicitè mandavit Moyli in lege scripta. His jam sacrificiis, quæ figuræ erant immolandi pro salute hominum Messia sublatis, & juxta Malachiam repudiatis in lege gratiæ an non in contestationem Supremi divini domini, iræque divinæ placationem aliud debebat substitui? sicut teste Paulo ad Hebr. 7. *Translatio Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat.* Ex eadem S. Pauli Epist. respondetis, quòd post cruentum Christi in Cruce sacrificium nullum amplius superfit, eò quòd figura cesset præsentem figurato, & cap. 9. Ep. ad Hebr. dicat Aposto-
lus?

330 *Pars secunda de elevatione*
lus : *Christus semel oblatus est. Et c. 10. Una*
oblatione consummavit in sempiternum. Sed, præ-
terquam quòd ergo fateri debeatis, ut multi ve-
strorum in angustias redacti concedunt, sectam
vestram sine sacrificio ac Sacerdote esse; unde ju-
re infertur eam non esse religionem veram, ut
in libello hoc *Titulo de Sacerdotio* ostensum est.
An non obstante cruento Crucis sacrificio semel
consummato in eadem ad Hebr. Ep. C. V. v.
11. dicit Paulus : *Omnis Sacerdos presto est qua-*
sidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias,
sive eundem Christum modo incruento Deo
offerens, oblationem scilicet illam mundam à
Malachia prædictam, de qua supra egi. Sicut
& ex hac ad Hebr. Epistola c. 13. de Altari
Christianorum, supra satis ostensum est,
quòd JESUS Christus amore nostri hoc sa-
crificium incruentum in ultima Cœna insti-
tuerit. Hoc tamen in materia hac ulterius
sciendum & notandum est, quòd licet incruen-
tum sacrificium, sub speciebus panis & vini à
Christo in ultima Cœna oblatum, fuerit signi-
ficativum sacrificii incruenti mox in cruce pera-
gendi, & utrumque (sicut omnes Christi acti-
ones utpote Theandricæ) infiniti sint & fuerint
valoris in actu primo & quoad sufficientiam;
Redemptio tamen mundi & satisfactio pro pec-
catis ex decreto Dei fuerit alligata soli sacrificio
Crucis, & ideo hâc Christus dicatur consumi-
masse omnia. Ità tamen ut applicatio fructus
sacrificii Crucis fuerit data ejus memoriali sive
sacrificio Missæ, uti & data est Sacramentis
item

item actibus supernaturalibus fidei, spei, caritatis, contritionis, aliisque bonis operibus. Et hinc Deus, ut per applicationem sacrificium Crucis nobis prodesset, horum usum nobis præscripsit, & sacrificium incrementum perpetuò renovari voluit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

De Missa privata.

Contra Missam privatam multa deblaterat Lutherus, quam in hoc sensu accipit, quòd solus Sacerdos communicet sine Communionem populi, sed inania sunt ejus objecta. Nam 1. in Missa privata reperitur tota essentia & integritas sacrificii. 2. Etiam tunc Sacerdos agit publicum Ecclesiæ Ministrum & pro tota Ecclesia, licet populus non communicet, offert. 3. In primæva Ecclesia post tempora Apostolorum populus non communicavit quotidie. 4. Antiquum est præceptum diebus Dom. & festivis audiendi Sacrum, non tamen communicandi, & per hoc quod Christus distribuerit consecratum panem, non sequitur præcepisse, ut in omni oblatione id semper fiat. Et cum oblatio dicto jam modo in Missa fiat Deo pro populo, opus multò minus est, ut omnis populus Missam audiens ejus omnia verba audiat vel intelligat. Imò ad majorem excitandam reverentiam, & ne communia nimis fiant in canone contenta, Ecclesia ordinavit hæc secretò dici, & licet subin cum natione aliqua dispensarit, voluit tamen per se tantum Missam dici in tribus sacris linguis. Egi de hac materia fusiùs, quia

in omni ferè cum Heterodoxis conversatione aut disputatione usuvenit. Sicut jam opto ex animo, ut miseris Hæreticis ratione tam tremendi mysterii per Dei gratiam oculos aperias zelose Catholice vel Sacerdos operarie in vinea Domini. Ità & opto, ut frigidus accendas Catholicos, qui credenda credunt, & tamen vel rarò frequentant templa, vel non debitam Christo Eucharistico in iis exhibent reverentiam. Cùm tamen in hoc se maximè Romano-Catholicos esse palam ostendere semper deberent. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida &c. Interim nos videamus, quænam ulteriùs objecta aut fabrefacta Architectorum ac Murariorum præter ædificia communia mentem in Deum elevare, & salubria nobis inspirare possint documenta.

Domus.

*S*uperbo oculo & insatiabili corde cum hoc non sedebam. Oculi mei ad fideles terra ut sedent mecum. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus mee, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua. In matutino (sive mane examinans qui probi, qui scelesti) Interficiebam omnes peccatores terra, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Ps. 100. Bona lectio tum pro Patribus-familias, tum pro Principibus. Egestas à Domino in domo impii. Habitacula autem factorum benedicentur. Prov. 3. Inclinata est ad meritum

mortem domus ejus [Meretricis] & ad inferos
semita ipsius. Prov. 2. In meretriciâ domo acce-
leratur mors corporis, causatur mors animæ &
æterna damnatio. *Via inferi domus ejus pene-
trantes in interiora mortis.* Prov. 7. de scelere
in scelus cadendo. *Domus Impiorum* [familia]
delebitur. Prov. 14. *Melius est ire ad domum
luctus quàm ad domum convivii.* Eccl. 7. Quia
in prima salubriores de vanitate mundi, memo-
riâ mortis &c. ingeruntur cogitationes. *Noli
esse sicut Leo in domo tua.* Eccl. 4. Non tumul-
tuariè cum præcipite impetu imprecationibus
&c. familia regenda est. *Edificavit domum
super arenam.* Matth. 25. Omnis, qui sine con-
silio, fundamento, timore Domini negotium
aliquod suscipit. *Benedictio Patris firmat domos
filiorum, maledictio autem matris eradicat fun-
damenta.* Eccl. 3. Sic prolium felicitas aut in-
felicitas pendet ab observatione vel violatione
q̄i præcepti. *Omnis, qui reliquerit domum vel
fratres &c. propter nomen meum, centuplum ac-
cipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19.
Et etiam pro una domo relicta plures quàm cen-
tum recipiet religiosus in ordine suo; quæ ad
ipsum æquè ac alios confratres suos pertinent,
& in quibus victum, vestitum & amictum (qui-
bus in misera hac vita juxta Apostolum conten-
tos nos esse oportet) habere potest. *Hodie sa-
lus domui huic facta est.* Luc. 19. In receptione
gratiæ sanctificantis, Eucharistiæ &c. *Scimus,
quòd terrestris domus nostra hujus habitationis
dissolvatur: quòd adificationem ex Deo habemus,
domum*

domum non manufactam, eternam in celis. Nam
 Et in hoc ingemiscimus; habitationem nostram,
 qua de celo est, superindui cupientes. 2. Cor. 5.
 Quis non peregrè constitutus properaret in patriam
 regredi? quis non ad suos navigare festinans ven-
 tum prosperum cupidius optaret, ut velociter cha-
 ros liceret amplecti. Quid non properamus Et cur-
 rimus? ut patriam nostram videre, ut Parentes
 salutare possimus. Magnus illic nos carorum nu-
 merus expectat, parentum, fratrum, filiorum fre-
 quens nos Et copiosa turba desiderat jam de sua im-
 mortalitate secunda, Et adhuc de nostra salute sol-
 licita. Ad horum conspectum, Et complexum
 venire quanta Et illis Et nobis in commune laetitia
 est. Qualis illic caelestium regnorum voluptas sine
 timore moriendi, Et cum aternitate vivendi, quam
 summa perpetua felicitas! S. Cyprian. lib. de
 mortalitate. Filii hominum inebriabuntur ab
 ubertate domus tua. Pl. 35. Ibit homo in domum
 aternitatis sua. Eccl. 12. quam sibi in hac vita
 parat.

Varia constitutiva domus Et in ea contenta.

Janua, Porta.

Ego sum ostium, per me si quis introierit, sal-
 vabitur. Joan. 10. Per fidem scilicet veram
 Dei caritate animatam. Contendite intrare per
 angustam portam, quia multi, dico vobis, qua-
 rent intrare, Et non poterunt. Luc. 13. Hoc ru-
 minent Haeretici sola fide & fiducia in meritis
 Christi

Christi freti. Et Catholici sceleratè viventes,
& ad mortem genuinam pœnitentiam differen-
tes. Per velleitates sanè pravi & inveterati af-
fectus non refecantur. Et teste Aug. Pœniten-
tia infirmi infirma est. *Foris non mansit pere-
grinus. Ostium meum Viatori patuit. Job. 30.*
Date & dabitur vobis. Sunt duæ sorores, quæ
ab invicem separari nolunt; si primam elimi-
nas, altera & te deseret. *Venit sponsus: & quæ
parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias, &
clausa est janua. Novissimè verò veniunt & reli-
quæ dicentes, Domine, Domine aperi nobis. At
ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.*
Matt. 25. Ergo non procrastinandum cum em-
ptione olei bonorum operum. *Pone Domine
custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis
meis. Pl. 40. Hebraicè Custodi januam labio-
rum meorum.* Da gratiam, quâ sciam, quid &
quando loquendum sit, aut non sit. *Beatus
homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas
quotidie, & observat ad postes ostii mei. Prov. 8.*
Salomon id dicit de divina sapientia, Ecclesia
applicat ad B. V. *Pessulum ostii mei aperui dilecto
meo. Cant. 5. Pessulum ostii cordis omnibus
obducendum, soli Deo aperiendum & citò.*
Dum ipse dicit: *Sto ad ostium, & pulso. Apoc. 3.*
gratiâ præveniente. Ne postea lamenteris cum
sponsa. *Ille declinaverat, atque transferat. Qua-
sivi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit
mibi. Cant. 5. Clauso ostio ora. Matth. 9.* Tam
benè, ut non affectes exteriorē quandam de-
votionem, ut lauderis ab hominibus, quam
etiam,

336 *Pars secunda de elevatione*
etiam, ut magis te recolligens sine distractione
ores. *Retulerunt, quanta fecisset Deus, & quia*
aperuisset gentibus ostium fidei, Act. Apost. 14.
Ut hoc pluribus aperiatur: ora indies. Ostium
apertum est in celo. Apoc. 4. Tu in Spiritu intra,
& vide sedentem in throno. Attollite portas
Principes vestras, & elevamini porta aeternales,
& introibit Rex glorie. Pl. 23.

Mensa, in quibus fit refectio.

Dispono vobis, ut edatis & bibatis super me-
sam meam in regno meo. Luc. 27. *Uxor*
tua sicut vitis abundans in lateribus domus tua.
Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensa
tua. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Do-
minum. Pl. 127. Manus tradentis me mecum
est in mensa. Luc. 22. Judas est, qui in statu
peccati mortalis sumit Eucharistiam, & qui
fraudulenter agit cum cibante se. Non potestis
mensa Domini participes fieri, & mensa Dam-
niorum. I. Cor. 10. Utrumque affectat Pleu-
dopoliticus.

Cella, Cellaria.

Intruduxit me Rex in cellam vinariam, ordi-
navit in me caritatem. Cant. 2. *Dando vi-*
num devotionis & amoris, ordinando amorem
suum erga me, quo me sibi subjiceret, & meum
erga se, quo me meaque omnia in se raperet
ac transferret. Emittet Dominus benedictionem
super

Mentis in Deum.

337

*Super cellaria tua, & super omnia opera manuum
tuarum Deut. 28. Sapientiâ edificabitur domus,
& prudentiâ roborabitur in doctrina [providâ
dispositione] replebuntur cellaria universa, sub-
stantiâ pretiosâ & pulcherrimâ. Prov. 24.*

Muri, Parietes, Turros.

Percutiet te Deus paries dealbate. Act. 23.
Hypocrita, Judex inique. ipse (Christus)
est pax nostra, qui fecit utraque unum, & me-
dium parietem maceria solvens, ut duos condas in
semetipsum in unum novum hominem. Ephes. 2.
Ex lege veteri, & novâ unam Ecclesiam. In te
eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar
murum. Ps. 17. Superabo omnem difficulta-
tem. Turris fortissima nomen Domini. Substan-
tia divitiis quasi murus validus circumdans eum
Prov. 18. Erat structura muri ejus ex lapide, iaspide
Apoc. 21.

Fundamenta, Cardines.

Fundamenta muri ejus omni lapide pretioso or-
nata. Apoc. 21. Domini sunt cardines orbis
terra, & posuit super eos orbem. 1. Reg. 2. Quasi
tempestas transiens non eris impius. Justus autem
quasi fundamentum sempiternum. Prov. 10. Fun-
damentum aliud nemo potest ponere præter id,
quod positum est, quod est Christus **IESUS** 1.
Cor. 3. Veræ fidei dogmata. Omnis qui ve-
nit ad me, & audit sermones meos, & facit eos,
similis est homini adificanti domum, qui facit in
P
aliud

Area, Horreum, Tectum.

*V*entilabrum in manu sua, & permundabit
aream suam, & congregabit eriticum suum
in horreum, paleas autem comburet igne inextin-
guibili. Matth. 3. Sinite utraque crescere usque
ad messem. Colligite primum zizania, & ali-
gate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum
autem congregate in horreum meum. Matth. 13.
Oculi Domini super timentes eum, firmamentum
virtutis, tegumen ardoris, & umbraculum me-
ridiani. Eccl. 34. Non sum dignus ut intres sub
tectum meum. Matth. 8. Nihil opertum est, quod
non reveletur. Quod in aurem locuti estis in ca-
buculis, predicabitur in tectis. Luc. 12. Quod in
aure auditis [privatâ instructione] predicabitur
super tecta. Matth. 10. Palam & apud omnes
evulgate.

Gradus, Scala.

*V*idit in somnis scalam stantem super terram,
& cacumen illius tangens celum, Angelos
quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam,
& Dominum innixum scale. Gen. 28. Provi-
dentia nempe Dei per Angelos regit mundum.
Et Princeps per Ministros suos regens ditionem
ad eorum ascensum & descensum, sive quæ ha-
beant principia, quos mores, diligenter debet
attende

attendere. *Uno tantum, ut ita dicam, gradu ego, morsque dividimur.* 1. Reg. 20. Hoc omni momento mortalis homo cogitare de se debet. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt* (cuiuslibet gradui gratia sanctificantis correspondet gradus gloria) *Et multam fiduciam in fide, que est in Christo Jesu.* 1. Tim. 3.

Sedes, Cathedra.

*S*edes posita erat in celo, *Et supra sedem sedens In circuitu sedis sedilia viginti quatuor. Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes.* Apoc. 4. O augustam Aulam ! quid respectu eius sedes aurea, argentea &c. Principum mortalium in suis palatiis ? qualis mutatio ! dum Rex in Sede ignea constrictus catenis mancipii instar in inferno ululabit, & pauper sedebit in throno in celo. *Dominus in celo paravit sedem suam, Et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Prov. 10. *Aedificabo in generationem Et generationem sedem tuam.* Pl. 88. Talia promittit Deus piis Principibus, & in seros promissa servat nepotes ; dummodo majorum suorum in pietate Deique timore exempla sequantur. Hoc experta est domus Habsburgica ; & experietur Lotharingica ab eodem ut perhibetur masculino sanguine descendens, & Austriacam modo propagans stirpem. Quidquid hæc stirps augusta perdidit ; perdidit per fastuosos & infidos Miistros ; quidquid acquisivit, habuit per benedicta à Deo arma & connubia. *Benedictio*

autem Dei inde venit. Quòd Rudolphum Habspurgicum imitati sint posteri in cultu erga Deum Eucharisticum, benedictam Dei Matrem, & zelo pro vera Dei Ecclesia. Sic est animata moderna Regina Hungariæ repleta sapientiâ, & fœminea cogitationi masculinum animum inferens, ut de matre Machabæorum dicitur I. 2. c. 7. Solatium & illa suum hausit, ut à fide digno eam dixisse habeo, ex profusis ante Christi crucifixi imaginem lacrymis, per quam Ferdinandum II. Imperatorem in angustiis constitutum animavit Deus verbis his: *Ferdinande nate deseram. Malignitas propria & Ministrorum evertit sedes Potentium. Sap. 5. Erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iuste, & ero dignus sedium Patris mei. Sap. 9. Utinam hoc multi Principes in veritate dicere possent, Dispono vobis, ut sedeatís super thronos iudicantis duodecim tribus Israel. Luc. 22. Nunquid adhareret tibi sedes iniquitatis* [Apostrophe ad Deum Hebraicè *nunquid jungetur tibi thronus confracti onum?* sive sedes tyrannica, qui fingis laborem in præcepto. Pl. 93. Sive qui duras & iniquas leges feras, ut opprimas subjectos, quod longè à Deo abesse vult hîc dicere Propheta. Cæterum laborem verè in præceptis divinis fingunt Hæretici, qui ea asserunt servatu esse impossibilia. Item tepidi, religiosi Christiani, qui dicunt, quòd hoc vel illud perferre, aut in hoc illo se vincere non possint. *Noli quarere à Domino decatum, neque à Rege cathedram honoris. Eccl. 7. Seu primum in Aula locum. Qui enim ultra*

in magna se officia ingerit, raro feliciter illa administrat tam in sæculari quàm ecclesiastico aut religioso statu. Supremi NB. gradus scalæ sunt omnium infirmissimi. Idem est in scala honoris, per quam altius vis semper scandere. Nunquid tot primarii Regum aut Principum Ministri quotidiana desuper exempla subministrant? Væ illis, quibus Christus objicit Luc. 11. *Diligitis primas cathedras.* Idem Dominus *mensulas nummulariorum & cathedras vendentium columbas everrit.* Matth. 21. Quid ergo eveniet iis? qui in aditu templi non jam columbas, sed templi Canonicatus & infulas vendunt dicentes non Pedum emi vel vendi, sed gladium. Non effugient gladium districti judicis.

Fenestra.

Fenestris aperis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo. Daniel c. 6. Licet sciret se observari à malevolis, qui ideo apud Regem extorserunt, ut mitteretur in lacum Leonum. Ergo omni respectu humano proculcato hoc facere debes, ad quod obligaris. Est etiam pia consuetudo quorundam, ut fenestris cubiculi aperis versus templum, in quo Sanctissimum asservatur, preces suas fundant. *Stultus à fenestra respiciet.* Eccl. 21. Oculos sursum deorsum in plateas conjiciens, & non aliter nec solidius per diem se occupans. *Mors intrat per fenestras nostras.* Jerem.

9. Scilicet per oculos juxta illud: *Ue uidi, peris, aperiens Noe fenestram arca.* Gen. 8. Symbolum est hominis benè omnia prospicientis.

Tapetes, Lecti, Cortine.

Inexui funiculis lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex *Agypto.* Prov. 7. Ubi adolescentem hortatur sapiens, ne adhæreat scortorità se ad amplexus invitanti. *Institutores tui in tapetibus ad sedendum.* Ezech. 27. Ubi Propheta prædicit Tyrum, quo omnes Mercatores confluebant, cum omnibus opibus & pretiosis tapetibus mari submergendam. Idem fatum pressit & premet celeberrima emporia & domos Magnatum, & divitum pretiosissimis tapetibus superbientes. In quibus non timor Dei, sed scelera regnant. *Mala aurea in lectis argenteis qui loquitur uerbum in tempore suo.* Prov. 25. Nec hæc tam pretiosa & amabilia sunt, quam homo prudens & cautus, qui loquitur cum Phlegmate, quando & ubi loquendum est. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum [adulterando] contemnens in animam suam, & dicens, quis me uidet? vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur, & ubi non sperauit, apprehendetur, & erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini.* Eccl. 23. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis uestris. Iurauit Dominus Deus in anima sua, quòd si reliqui fuerint decem uiri in domo una, & ipsi morientur.* Amos 2. etiam morte æternâ. Erunt
aus

duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur. Luc. 17. Terribile hoc cogitatu est, quòd uno salvato alter æternùm damnandus sit inter conjuges, parentes, proles, fratres, &c. Dedi tlli tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. Apoc. 2. In tenebris stravi lectulum meum. Et rursus post tenebras spero lucem. Job. 17. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Prov. 26. Lectulus noster floridus. Cant. 1. Hoc poterat dicere S. Stanislaus, dum B. V. Jesulum posuit in ejus lectulo. Tu id poteris dicere; si lectum tuum sacris imaginibus ac flagello circumdatum habeas, & cum Davide pœnitente possis dicere: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Lacrymis meis (ex contrito corde) stratum meum rigabo. Pl. 6. Hi pulchri sunt flores pœnitentiæ excitantes Deo odorem gratum. In lectulo meo per noctes quæsi, quem diligit anima mea. Cant. 3. Dum subin evigilans ad Deum suspiro. In hoc sensu, & factâ ante somnum intentione purâ, quòd vires per somnum acquisitas unicè in Dei gloriam velim impendere, verum quoque erit illud: Quando dormio, cor meum vigilat. Decem cortinis de bysso, hyacinto, purpura, coccoque bis tincto tabernaculum in v. L. tegi debebat. Exod. 26. Figura erat SS. Eucharistiæ. Ubi Christus acciden-

tibus vini & panis velut cortinis tectus te expectat ô anima mea.

Pictura.

Lectuli aurei & argentei super pavementum Smaragdino & Pario stratum lapide dispositi erant, quod mirâ varietate pictura decorabat Esth. 1. Talia non habent & in tanta copia moderni Reges utcunque pomposi, & tamen omnia vanitas. *Umbrâ pictura labor sine fructu. Effigies sculpta per varios colores, cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortua imaginis effigiem sine anima.* Sap. 15. *Universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Ezech. 8. Quibus Seniores Israel adolebant thus. Idem in corde faciunt multi pro dolor Christiani impudicis picturis, statuis, aliisve objectis turpibus. Sæpè miratus sum, quod exstructa nova palatia & ædes magnificæ repleta sint picturis Deorum & Dearum fabularum, & raræ vel nullæ sint in iis picturæ sanctæ, aut ex S. Script. desumptæ. Quæ nihilominus non tantum pia, sed & amœna affatim suppeditant, & sana sensa ingerunt. Sed pessimum est, quod tot picturæ obscenæ, & nefandas nuditates representantes domos ac palatia impleant *Imagines abominationum.* Ezech. 7. Fulmine ac fulgure de celo in cineres redigendæ. Pro summis raritatibus & summo in pretio ejusmodi Diabolica artefacta habentur. Habe parum patientiæ. Diabolus tibi pretium exsolvet ære parato in fornace avernali.

Inte-

Interim Pictores imaginum Christi, B. V. Sanctorum, aliorumque objectorum, quæ ad vivum ad virtutes & ingenua quæque extimulant, non condignè satis deprædicari possunt ob animarum fructum, qui etiam post eorum fata in seros nepotes derivat. Romæ, Venetiis & alibi vidi picturas ejusmodi, quæ tepida corda amore Dei possent inflammare. In specie unam celeberrimi Pictoris Raphaelis, qui contra tritum illud *Ars imitatur, non assequitur naturam*, naturam in picturis suis videbatur assequi. Hinc Calvariæ ejus sequens Romæ vidi suppositum Distichon:

Hic Raphael est, quo vinci, vivente, timebat:
Rerum magna Parens, & moriente mori.

Imagines.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? Matt. 22. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen. 1. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis.* I. Cor. 15. *Apprehensa est bestia, qui acceperunt characterem bestia, & qui adoraverunt imaginem ejus; vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis sulphure.* Apoc. 19. *Quos præscribit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Rom. 8. *Inspecte, & fas secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. *Frequens & solidus per diem obtutus imaginis Crucifixi D. N. J. C. multa tibi bona dictabit, & salutares dabit lectiones.*

Cetera in domo occurrentia.

Linea, Lanca, Supellex.

F*Acti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae. II. 64. v. 6. Non est hic sermo etiam Calvino & Musculo testibus de bonis operibus justorum, sed de legali justitia, quae consistebat in sacrificiis expiatoriis, lotionibus manuum, calicum, &c. quae exteriores justitiae contaminabantur per adjuncta Judaeorum scelera perfidias ac hypocrises velut pannus menstruatae. Hinc verbum sequente additur: Non est, qui invocet nomen tuum. Hinc allisisti nos, sive contrivisti in manu, id est per manum iniquitatis nostrae tanquam lictoris saevientis in sui autorem Exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiae circumdedit me. II. 61. Quaesivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Prov. 31. Sic diligens & provida mater familias ex lana & lino constanter à se ac domesticis elaboratis & necessitati suorum providet, & suppellectilem non contemnendam pro filiis ac nepotibus comparat. Stragulatam vestem, hoc est, tapetia facit, quibus lecti ac parietes ornantur, & ex Syndone, hoc est linteo subtilioris operis, & Cingulo, id est zonis pulchrè acupictis, floribusque aureis, purpureis ac byssinis intextis, pecuniam comparat ea vendendo Chanaanico, id est Mercatoribus,*

ribus, quia Chananaea gens mercaturæ maximè
erat dedita. In tali fœmina *confidit cor viri, &
spoliis non indigebit.* Indiget autem multis v. g.
D. Consiliarius, & quia talem fœminam non
habet, sed amantem commoditates, consortia,
lusus, potus, Thee, Caffee, Chocolat, pompo-
sas vestes pro se ac prolibus, hinc ad spolia, ad
quærendas, acceptandas corruptiones via ster-
nitur. Laudata mulier fortis etiam *de fructu
manuum suarum plantavit vineam, emit agrum,
manum suam misit ad fortia, & digiti ejus appre-
henderunt fusum.* Denique *consideravit semitas
domus sue, & panem otiosa non comedit.* Ex de-
fectu talis mulieris in multis holoserico ac tape-
tibus instratis domibus est splendida paupertas.
Potus *Thee-Caffee-Gesellschaft* non tam nocet
ob nummos ideo exponendos, quàm quòd per
hoc muliebris sexus dediscat labores manuum,
& passim, ut prò dolor hodie dum cernimus,
otio, consortiis, lusibus, &c. vacet, atque exin
laudetur unice, quòd sciat benè conversari,
eloquenter garrere, ludere, saltare, &c. O
quàm deviamus à prudentum ac piorum ma-
jorum moribus. Prudens procus ejusmodi fi-
liam non appetit. Ponant sibi obsecro matres-
familias ante oculos velut speculum laudatam
à sapiente mulierem, & filias suas ad opera ma-
nuum & œconomica applicent.

Funes, Scope.

Funes peccatorum (insidiæ, illecebræ impio-
rum à lege Dei avertere volentium) circum-

348 Pars secunda de elevatione
plexi sunt me, & legem tuam non sum obliu.
Pl. 118. Meditatus sum nocte cum corde meo, &
exercitabar, & scopebam spiritum meum. Pl. 76.
Sive me piis cogitationibus quasi scopâ agitabam
nunc misericordiam, nunc justitiam divinam
animo volvens. Veniens (Diabolus) invenio
eam (animam quam reliquit) vacantem, scopis
mundatam & ornatam. Assumpti autem ab eo
septem nequiores spiritus intrantes habitant ibi,
& sunt novissima hominis illius pejora prioribus.
Matth. 12. Hoc verificatur in homine, qui
quidem se convertit; sed postmodum vacans
otio nec de solidis sibi remediis providens reci-
divam patitur, & in pejora prolabitur.

Saccus.

Qui mercedes congregavit, misit eas in saccu-
lum pertusum. Agg. 5. Talia sunt bona
opera debitâ destitutâ intentione. Con-
scidisti saccum meum [vestem lugubrem sacco
similem] & circumdedisti me latitiâ. Pl. 29.
Hoc potest dicere homo è statu peccati vel ad-
versitatis emergens, vel etiam anima in statu
gratiæ corpus relinquens. Facite vobis sacculos,
qui non veterascunt. Luc. 12.

Cubicula, & varia in iis contenta.

In superioribus domus sue fecit sibi secretum
cubiculum, in quo cum puellis suis clausa mor-
rabatur, habens super lumbos suos cilicium, in-
veniebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur
de

de illa verbum malum. Judith. 8. Ecce speculum devotæ Virginis aut Viduæ. *Cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Matth. 6. Hoc est, non ut Pharisæus vanam quære gloriam ex oratione publica. Cæterum quod bonum exemplum dandum sit publicâ quoque ac devotâ oratione in Ecclesia, docet nos lex vetus ac nova, ipsaque sana ratio & Ecclesiæ præcepta. *Quod in aurem locuti estis in cubiculis* [v. g. tempore exercitiorum spiritualium] *predicabitur in tectis.* Luc. 12. Sive ex ambone: sic etiam omnia secreta sive bona, sive mala apparebunt in die iudicii.

Calamus, Atramentum, Charta, Tabula.

Lingua mea calamus Scriba velociter scribetis. Pl. 44. Sicut enim calamus obsecundat manui scribentis, ita lingua mea proferet promptè, quæ illi animus à Spiritu S. afflatus suggesserit. *Manifestati quod Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* 2. Cor. 3. *Non in tabulis lapideis ut lex Moylis sed carnalibus corde molli, Atramentarium Scriptoris habebat in lumbis suis, & dixit Dominus ad eum. Signa Tau super frontes, dolentium super cunctis abominacionibus sive peccatis.* Ezech. 9. Vir hic descriptus erat Angelus, quinque ejus comitibus Angelis iussit Deus, ut omnes occiderent in Jerusalem præter signatos litterâ τ. hæc apud Ægyptios erat characteristica littera futuræ vitæ. Apud Latinos & Græcos damnandis à iudice præfigebatur

batur Thita, liberandis Thau. Tempore Antichristi signabunt Angeli Apoc. 7. v. 3. Electos Christi Crucis signo. Imò putant aliqui teste Salmeron Beatos omnes in cælo pro frontibus insigniendos *Cruce* quasi tessera & trophæo Christi, quo testentur se meritò Crucis cælum possidere. *Plura habens vobis scribere nolui per chartam & atramentum, sed os ad os loqui.* Joan. Ep. 2. & 3. Et id sæpè meliùs est Littera enim sicut scripta manet, ità non potest se ipsam & occurrentia ex ea dubia explicare. Quanquam & hoc verum sit, quòd honorans aliquem prout decet pileo vitro & calamo multum inde habere possis emolumentum. *Allata sunt ei littera* (Joiam Regi Judæ) *ab Elia Propheta* l. 2. Parallip. c. 21. ex Paradiso, in quem à novennio curru igneo, hoc est, splendidâ nube translatus fuerat, malorum ob scelera Regis prænuntiæ. Tu cave ne noteris in libro, quo continentur pœnæ æternæ sceleratorum.

Fornix.

E*Rexit sibi fornicem triumphalem.* 1. Reg. 15. Saul cæsis Amalecitis, non Deo auctori victoriæ, & ideo non continuatur felicitas Principum, quia elati prosperis obliviscuntur Dei, *Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem.* Prov. 20. Hoc est, ità obruit, & quasi sepelit illos, ac si deturbato in subjectos fornice cubiculi totos ruinis involveret.

Pavimentum.

A*Dbasit pavimento anima mea (pondere ærumnarum pressus humi jaceo) vivifica*

me secundum verbum tuum. Pl. 118. Lapsus falsa lingua quasi qui in pavimento cadens. Sic casus malorum festinanter veniet. Eccl. 20. In pavimento quidem plano, sed saxi constructo corruit, ubi minimè putabat, adulator, detractor.

Fornax.

EDuxi eos de terra *Aegypti* de fornace ferrea. Jer. 11. Mundus est talis fornax, ex qua educus es ad relig. ordinem. Missi sunt in medium fornacis ignis ardentis. Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem, & erupit & incendit, quos reperit juxta fornacem de Chaldeis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria & sociis ejus in fornacem, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestia intulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant Deum in fornace dicentes: Benedictus es Domine, &c. Dan. 3. Eccè multiplicem materiam variarum bonarum reflexionum. Aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magna. Apoc. 9. Imaginate tibi infernum.

Columna.

Per diem columna nubis, per noctem columna ignis. Exod. 13. Præcedebat Israelitas. Sic gratia Dei te de die ac nocte ducit ac illuminat per desertum mundi hujus. Columna cali contremiscunt. Job. 2. coram divina Majestate, in cujus præsentia tu adeo irreverens & sæpè contumax

352 *Pars secunda de elevatione*
tumax es. *Qui vicerit, faciam illum columnam*
in templo Dei. Apoc. 3. Tales sunt in Ecclesia
Dei, qui devicto omni humano respectu & car-
nis illecebris cæteris exemplo prælucent maximè
in dignitatibus constituti.

Arca, Cista.

PRÆter arcam Noë celebris quoque in S.
Script. est arca fœderis. Quòd in ea reposti-
tus sit Decalogus tabulis inscriptus lapideis; &
prope eam in Sanctuario virga Moysis & Man-
na, quo pavit in deserto populum suum Deus,
inter cætera docet transgredientes præcepta Do-
mini castigari virgâ divinæ justitiæ, eaque ob-
servantes in terris solariis recreari. Sic S. Eu-
charistia, cujus typus fuit arca fœderis, *Mors*
est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam
sit dispar exitus. Ad ingressum arcæ in Jorda-
nem aquæ inferiores decurrere, & deficere cœ-
perunt, *qua autem desuper veniunt, in uva mo-*
le consistere. Jos. 3. Sic per devotam sumptio-
nem S. Eucharistiæ homo inferior deficit, su-
perior crescit. Porro arca vocabatur *Arca tes-*
tificationis & fœderis. Quia legem divinam ta-
bulis lapideis inclusam habebat, adeoque vo-
luntatem Dei populo testatam faciebat, sicut
& fœdus populum inter & Deum initum. Erat
autem cistula quadrata *ex lignis serim, sive spinis*
alba albis & imputribilibus. Ab intus & de fo-
ris tecta erat lamellis aureis longa duos cubitos
& semis, alta & lata cubitum unum & semis,
In

In eadem captâ à Philisthæis, & post tot eorum multiplices clades ab Israelitis receptâ. Vide Dei providentiam punientis fideles ad tempus, & iis postmodum mirabiliter assistentis.

Promptuaria.

In inferno *promptuaria*. 4. Esd. 4. Deus nos ab illis præservet. *Plena promptuaria subitè inveniuntur vacua*. 4. Esd. 6. Talis est alternatio fortunæ. Et sic fit, dum cessat divina benedictio. *Promptuaria eorum plena* (sive penuria referta sunt omnis generis annonâ) *eructantia ex hoc in illud*. Ps. 43. Quia cum unum ea non possit satis capere, in aliud atque aliud transferuntur. Hoc fit in domibus, ubi timor Dei, & bona est œconomix administratio. Nobiles & Principes sæpè, quò plus accipiunt, eò plus perdunt. Et ità inveniuntur bursæ cellæ granaria &c. vacua, quasi Diabolus omnia abstulisset.

Candelabrum, Lucerna.

Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra: coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Matth. 5. Movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Apoc. 2. Has minas intentari sibi putet Ecclesiasticus Princeps, nobilis Canonicus, & quivis alius peculiaribus à Deo gratiis cumulatus. Solidis pœnitentiæ operibus sedulus incumbat, & in spiritualibus exercitiis se

recol-

recolligens *dragmam amissam*, sive Dei gratiam lucernâ intellectûs accensâ diligenter requirat cum muliere Luc. 15. *Ille erat lucerna ardens*, Joan. 5. Hoc de viro Apostolico Superiore & quovis Patrefamilias maximè debet posse prædicari.

§. 6tus.

De diversis aliis hominum Professionibus, Conditionibus & Occupationibus.

PRæter opificia eorumque fabricas, instrumenta & objecta varias alii homines adhuc professiones, occupationes & conditiones habent. Ut sunt v. g. Venatores, Piscatores, Opiliones, Mercenarii, Hortulani, Nautæ, Molitores, Aurigæ, Milites. Et hi omnes amplissimum salubribus documentis & mentis in Deum elevationibus campum ex sacris paginis aperiunt.

Venatores, Aucupes.

*M*ltam Piscatores, & piscabuntur eos (designantur, qui sine strepitu exteriori apparatu quærunt animas) & multos Venatores, & venabuntur eos) Tales sunt Missionarii verbo & exemplo prædicantes pœnitentiam ex theatris cum apparatu vario) *de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Jer. 16. Ex ejusmodi montibus, sylvis, cavernis, antris reverà Missionarii nostri in America allexerunt speculis, vitris, &c. Barbaros, docueruntque

nos primò ut homines, dein ut Christianos vivere. *Venatione cœperunt me quasi avem inimici mei gratis.* Thren. 3. *Applica ad Christum in horto Gethsemani. Ubi sunt Principes gentium? & qui dominantur super bestias, qua sunt super terram* (feras in venatione cum ingenti equorum & canum numero, & magno ac frequenti subditorum damno insequentes) *qui in avibus cali ludunt* [dum falconibus in aere persequuntur ardeas] *exterminati sunt, & ad inferos descenderunt* [ubi ob tot agricolas perditos & subditos inclementer ac durè habitos devorabunt eos aves & bestiaë infernales morsu amarissimo] *& alii loco eorum surrexerunt.* Baruch. 3. Et revera est peccatum in cœlos clamans tot exactioibus emungere subditos, & præterea adhuc fruges, unde panem & alimenta necessaria habere debent, copiâ canum, cervorum, aprorum perdere. Et majus est peccatum id fieri ab iis, qui sicut pedo pastorali lupos animarum ab ovibus sibi concreditis arcere deberent, & maximum ac primum in hoc studium ponere, ità quoad gubernationem suavem populi sibi subjecti cæteris sæcularibus Principibus velut genuini Pastores & patriæ Patres præluere.

Anima nostra erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Pl. 123. *Applica homini à mala societate se segreganti, vel cum magna lucta aut contradictione religiosum tandem statum adepti. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo*

356 *Pars secunda de elevatione*
queo pedes meos. Pl. 24. Dirupisti vincula mea,
tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini
invocabo. Pl. 115. Custodi me à laqueo, quem
statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniqui-
tatem. Pl. 140. Posuerunt Peccatores laqueum
mihi, & de mandatis tuis non erravi. Pl. 118.
Cadent in retiaculum ejus Peccatores (Dei & Dæ-
monis. Est enim rete ejusmodi, quod undi-
que complectitur inclusos à Diabolo tentante, &
Deo vindicante) Singulariter sum ego, donec tran-
seam. Pl. 140. Singularis enim à Deo, quod
taliter non includat, mihi fit gratia. Veniat illi
laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscon-
dit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in
ipsum. Pl. 34. Sic sæpè dolosus homo reti se
proprio involvit & capitur. Creatura Dei in
odium (per malitiam & abusum hominum)
facta sunt, & in tentationem animabus hominum.
& in muscipulam pedibus insipientium. Sap. 14.
Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum ple-
na dolo. Jerem. 5. Impii insidiantes, quasi aucu-
pes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos vi-
ros. Ibid. Eruere quasi avis de manu aucupis.
Prov. 6. Nunquid cadet avis in laqueum terra
absque aucupe? nunquid auferetur laqueus de
terra? antequam quid cœperit. Amos. 3. Ap-
plica aucupi bono animarum, qui patienter de-
bet expectare, nec desistere, donec capiat eas,
præviè affectu & confidentiâ earum sibi compa-
rata. Talis meretur cum S. Cajetano vocari
Venator animarum. Cæterum gloriosior est ti-
tulus Imperatori Henrico, quod cognomen-
tum

rum *aucupis* apud posteros habeat, quàm *magni Venatoris*. Quia aucupia ab illo Imperatore, etiam dum fasces imperii ei deferebantur, usurpata fiunt sine damno incolarum. In variis ditionibus cum magno strepitu canum adlatrantium & cornuum Venatoriorum inflatione vagantur spectra Venatorum sine dubio ob magna agricolis illata damna. Non est laus, quòd Gen. 10. v. 9. dicatur Nemrod *robustus curam Domino Venator*, quia omnes boni & mali sunt coram Deo sive in præsentia Dei ubique existentis. Nec ipse, nec Esau *vir gnarus venandi*. Gen. 25. computantur inter filios Dei. Imò S. Ambrosius in Ps. 118. audet dicere: *Nullum invenimus divinarum in serie Scripturarum de Venatoribus justum*. SS. Eustachius, Hubertus, dum Venatores erant, necdum fuere justi. Et si ex post venatione se exercuerunt, ea nemini nociva nec statum suum dedecenserat, & his duabus conditionibus convestita venatio reprehendi non potest, sed laudabiliter ex fine honesto etiam ob sanitatem & corporis exercitationem assumi ab illis, quibus ratione statûs sui convenit. Ferdinandus II. Imperator sæpè ab aliis in interiora sylvarum recedens coram appensa in arbore icone B. V. preces suas persolvebat.

Piscatores.

Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum. Marc. 1. *Illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Math. 4. *Per totam noctem*

Item laborantes nihil cepimus. [Talis indolis sunt omnia opera in statu peccati mortalis facta] *In verbo autem tuo laxabo rete.* Matth. 5. Id observet prudens operarius. *Vado piscari, venimus & nos tecum.* Joan. 21. Indulget Deus, ut qui omnia amore ipsius deseruerunt, redeant ad pristina (in se non mala, nec ad peccatum inducentia) propter necessitatem, utilitatem, imò & honestam recreationem. *Mittite ad dextram navigii rete, jam non valebant illud trahere pro multitudine piscium.* Joan. 21. Ad dextram mittit rete Operarius vel Missionarius, qui secundum institutum voluntatem Superiorum, & non ex proprio critirio, sinistrâ sensuali intentione agit cum proximo. Conclusi pisces reti ad dextram jacto, & ad littus attracti symbolum sunt fidelium in mari hujus mundi reti veræ Ecclesiæ, ordinis religiosi inclusorum, & ad littus felicitis æternitatis appellentium. Vide, ne tuâ culpâ rete rumpens in mare præcipiteris. *Simile est regnum calorum sagena missa in mari.* Matth. 13. Sagena quilibet status vel congregatio est; cui boni & mali in mari mundi hujus à Deo includuntur; & sensim ad littus æternitatis trahuntur. Ubi eligentur boni in vasa, cælum. *Mali autem foras mittentur, id est, in exterminium.*

Pastores.

Super Peccatores iratus est furor meus [*Curatores animarum*] *& super hircos* (*Peccatores*)

res) *visitabo*. Zach. 10. *Adverte furorem erga Pastores, & super hircos vel malas oves visitationem. Ve Pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuae meae dicit Dominus.* Jerem. 23. *Ululate Pastores, & clamate, & aspergite vos in cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini. Cadetis quasi vasa pretiosa.* Jerem. 25. *Vasorum pretiosorum deterior lapsus. Hac dicit Dominus Deus Israel ad Pastores, qui pascunt populum meum. Vos disperdistis gregem meum. Ecce ego visitabo vos, malitiam studiorum vestrorum.* Jerem. 23. Terribile imminet iudicium Episcopis & Prælati; qui Episcopatum, Prælaturam non propter bonum opus, sed opes desiderant potius accincti gladio, quam pedo, potius venatores, raptores, scoratores, quam boni Pastores. Nam ob severas ideo rationes Deo dandas onus istud Archangelicis etiam humeris formidandum est. O Domine verifica in Episcopis, Prælati, Parochis nostris illud Jerem. 23. *Suscitabo super eos Pastores, & pascent eos, & nullus quæretur ex numero.* Ut coram te districto iudice stantes possint dicere: *Pater, quos dedisti mihi, non peridi ex eis quemquam.* Joan. 6. Sive negligentia, sive malo exemplo. Item illud Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me mea.* Tu ergo oves tibi concreditas per crebras visitationes, informationes, quid rerum in hac illa Parochia vicinia agatur, quomodo servantur præcepta Dei, an scandala contingant, &c. debes conari nosse, & illi te debeat nosse, quòd

quod sis castus, sobrius, mitis & severus, tibi opus est. Nec verbo tantum, sed & exemplo prædica. Non debes tantum velle delitari, genio tuo indulgere, sed ad reducendam ovem pereuntem etiam loca illa non declina, ubi defectus in esculentis, aut alia corporis incommoditas perferenda est. Ut ovem perditam inveniens imponas in humeros gaudens & dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, qua perierat.* Luc. 15. Si nil unquam incommodi sustinueris aut laboris, qui dici mereatur verè labor, defatigatio, pro tibi conceditur; quomodo stabis coram Iudice JESU tuo pro te & tuis crucifixo? *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis* [si vita danda, quanto magis labor aliquis suscipiendus] *Mercenarius autem* (scilicet qui non bonum opus, sed opes desiderat, ut lautè & magnificè vivat) *fugit, & Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Luc. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili* (Judæos, Gentiles, Hæreticos) *& illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Pastor.* Ibid. *Cecitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.* Rom. 11. *Ultimò ergo ad ovile Christi venient Judæi. Congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis, & stant oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris.* Matth. 25. *Semper animo tuo obversetur dies iste separationis. Reversi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant*

rant & viderant. NB. Sicut sub medium noctis non mundi Magnatibus, sed simplicibus Pastoribus intimata fuit ab Angelis Nativitas Christi. Ità quoque, ut habet historia Lauretanæ domûs domuncula hæc in qualibet per Angelos translatione sub medium noctis primùm ostensa est Pastoribus. *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Prov. 13.

Mercenarii.

Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit Mercenario, fratres sunt. Eccl. 24. Videtis magni Principes, videtis viri nobiles, quales fratres habeatis? quàm turpi classi cum omnibus titulis vestris adscripti sitis calamo æternæ veritatis. Habitatis in Palatiis, & sæpè adhuc debetur per annos multos merces murariis & mercenariis. Ità ut nequidem labor pro loco secreto extracto, unde ejicitis stercora, solutus sit. *Si fructus ejus (terræ) comedi absque pecuniâ, & animam agricolarum ejus affluxi. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* Job. 31. Utinam id omnes magni Domini, nobiles, opulenti coram Deo contestari possent. *Non morabitur opus Mercenarii tui apud te usque mane,* Levit. 19. Statim solve, quod debes. Interim etiam sæpè Mercenarii & eorum Magistri Architecti peccant, pigrè, vel ità laborando, ut diu laborare & frequenter debeant. Hi fures sunt nummorum,

Q

&

362 *Pars secunda de elevatione*
& tales sæpè nancisci potes in urbibus, in qui-
bus Mercenarium habere non potes nisi à Magi-
stro tribùs constitutum. *Breves dies hominis,*
donec optata veniat, sicut Mercenarii dies ejus,
Job. 14. In quo mercedem à Deo accipiet.
Quanti Mercenarii in domo Patris mei abundant
panibus. Ego autem hic fame pereor. Luc. 15. Re-
ligiosi non debent esse Mercenarii hoc sensu,
Quòd ob temporale quid Deo serviant. Sed
hoc sensu, quòd mercentur cælum. Et respe-
ctu talium multi nobiles, divites cum filio pro-
digo carnalibus vitiis dediti, quæ sunt porco-
rum filiquæ, jure ad Deum Patrem clamare
possunt. *Fac me unum de Mercenariis tuis, qui*
abundant panibus. Adeoque non tantùm ha-
bent pro vita sustentanda necessaria, sed ultra,
Interim sic Deus remunerat servos suos etiam
in hac vita.

Hortulani.

ILLA (Magdalena) existimans quia Hortula-
nus esset (Christus) dicit ei Domine, &c.
Joan. 20. Innocentes & simplices Professiones
sunt per se loquendo. Quarum figuras sibi
adoptavit aut applicavit Christus, ut Hortula-
ni ac Pastoris. In quolibet horto occurrere ti-
bi potest Christus in horto Gethsemani captus,
& paradisi horti voluptatis, ex quo pecca-
tum ejecit humanum genus.

Molitores.

PHILISTÆI Samsonem excecatum *molere fecerunt*
Jud. 16. Eò devenit homo tot à Deo
lingu-

ſingularibus præventus beneficiis, qui meretrici cor ſuum dedit. Cor tuum teſte Greg. ſemper molit aliquid ſive farfur ſive triticum. Si ſapis, occupa illud in molendo aliquid boni. In Scotia uſque modo molendina eſſe dicitur S. Fridiani dicta, quæ furto ablatas fruges non molit. Utinam ipſi Molitores non furentur, *Conterebam molas iniqui.* Job. 29. Hoc eſt, contrivi potentiam, avaritiam impii, qui potentiâ & libidine habendi in tranſverſum actus imbecilles conterit. Et propriè officium eſt Domini territorialis tales conterere. *Dus molentes in mola una, una aſſumetur, & una relinquetur.* O quàm terribile eſt cogitatu, ut ſapiùs in hoc Vade mecum inculcavi, quòd ex eadem profeſſione, eadem domo, familia, &c. unus ſit damnandus, alter ſalvandus, Quale divortium pro tota retro æternitate?

Nauta, Naves.

TImuerunt Nauta, & clamaverunt viri ad Deum ſuum [quòd naturæ inditum ſit Deum verum dari, apparet in omni homine etiam gentili in ſuprema neceſſitate manus ad cælum tendente] *miferunt vaſa, que erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis* (ſic uſurarii omneſque, qui illicitis artibus acquirunt, aut de cætero poſſident bona non ſua, ſi ſalvari velint, hiſ ſe ſpoliare debent) *& accēſſit ad eum* (Jonam) *Gubernator, & dixit ei: Surge, invoca Deum tuum. Miferunt ſortes, & cecidit*
Q 2 *ſors*

sors super fonam. Indica nobis, cujus causâ malum istud sit nobis. Quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo tu es? quid faciemus tibi? & cessabit mare à nobis. S. Chrylost. acutè & energeticè describit, & miratur ordinatum hunc procedendi modum, præsentiamque spiritus hominum grossorum, gentiliū, nautarum, & in summis quidem angustiis constitutorum, ubi mare ibat, & intumescibat. Et queritur, à politis Christianis sic non procedi in judiciis. Adde ego, quòd phlegma simile etiam sæpè non ostendatur in disputationibus, capitulis, congregationibus, & quidem à viris in nullo periculo intumescens oceani constitutis, imò in secura ac commoda sede confidentibus à doctrina & virtute celebribus.

Alieviabant navim jactantes triticum in mare.
 Act. 27. Si post tot superata pericula etiam ipsa, quæ Mercator negotiatus est, projiciuntur in mare ad salvandam vitam temporalem. Quid tu facies? ut appellas ad littus felicitis æternitatis? Dies mei præterierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Job. 9. Naves cum magna sint, & à ventis validis minentur, circumferantur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium domantur. Linguam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum, plena veneno mortifero. Jacob. 3. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo. Pl. 100. Urinatores

res hoc maximè in profundo maris vident ; & pro spe exigui lucri se tot periculis in profundo maris exponunt. Quid tu pro cælo ? tu tibi fingis omnis generis monstra in via perfectionis, & isti te ipsâ omnis generis monstra & animalia (quia non est species belluarum in terris, quorum species non sit in mari æquè si non terribilior) contemnunt alicujus, ut jam dixi, lucri temporalis gratia. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Quid timidi estis modicæ fidei ? imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Matth. 8.* JESUS videtur dormire, quando permittit varia contra Ecclesiam suam. Sed quia Sponsa est pretioso suo sanguine empta ; crede mihi semper, verificabitur contra Ecclesiæ hostes illud Pontificis ad Imperatorem :

*Niteris in cassum navim subvertere Petri,
Fluctuat : ast nunquam mergitur ista ratis.*

Auriga, Currus.

ECce currus igneus & equi ignei dividerunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in calum. Eliseus autem videbat, & clamabat : Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga ejus. L. 4. Reg. c. 2. Utinam talem & tu currum & aurigam habeas. Quanta differentia inter Angelum bonum & malum avehentes animas in orbem alterum. Sed Elias vivus translatus est, & vivet usque dum cum Henoch [v. c. 5. Gen.] occidatur Jerosolymæ ab Anti-christo, & post triduum

366 *Pars secunda de elevatione*
triduum resurgat. Sive ambo in paradiso ex
fructu arboris vitæ vivant, sive Deus sine esu &
potu suspendens actionem caloris naturalis &
consumptionem humidi radicalis incorruptos
servet. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet*
plaustrum onustum. Amos. 2. Sic conculcat pec-
catores Deus. *Luxuriæ currus quadrigâ voluitur*
vitiorum, ingluvie ventris, libidine tactuum,
mollitiæ vestium, otii soporisque resolutione. Tra-
hitur equis duobus prosperitate vitæ, & rerum
abundantiâ, & qui his insident duo ignavia tor-
por & infida securitas. S. Bern. serm. 39. in
Cantic. *Currus Dei decem millibus multiplex,*
millia lætantium. Dominus in eis, in Sina, in Sa-
eto. Pl. 67. Talem pomposum currum nullus
Regum habere potest. Hoc vehebatur Deus,
cùm legem daturus descendit in montem Sinai.
Et decem millibus, Hebr. 20. millibus. (numerus
certus pro incerto) stipatus fuit, quæ tot mil-
lia fuerunt Angelorum lætantium, inter quos
Dominus apparuit. *Currus Pharaonis & exer-*
citus eius projecit in mare, electi Principes eius
submersi sunt in mari rubro. Exod. 15. Cùm
Diabolus currus rotam fregisset, quo S. Bernar-
dus Romam petebat, Sanctus vesutias Dæmo-
nis advertens iussit eum rotæ officio fungi Ro-
mam usque. *Nunquid est cor tuum rectum, sicut*
cor meum cum corde tuo, & ait Jonadab, est. Si
est, da manum tuam, qui dedit manum suam,
at ille levavit eum ad se in currum. 4. Reg. 10.
Sic Deus, antequam te admittat ad currum glo-
riæ suæ, examinat cor, inspicit manus live
opera.

opera. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Pl. 19. *Eunuchus potens Candacis Reginae Æthiopum, revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.* Act. Ap. 8. Opto, ut plures sint ejusmodi magni Domini legentes in curru ac itinere libros sanctos. Terribilis est visio illa ejusdam in extasin rapti; in qua obversabatur oculis magnus Princeps sedens in curru magnifico per montem celeriter vectus, & demum in abyssum præcipitatus. Sicut post ipsum ejus Ministri, quorum alii sex, alii quatuor equos ante currum habebant, Confessarius Principis duos, quem ipse quoque Confessarius strigoso insidens equo sequebatur. Omnes interrogati, quò tam celeriter properarent, reposuere. Sequimur Principem; & pariter ex extrema parte montis in abyssum præcipitati sunt.

Gladiatores.

Vives in gladio, dicebat Jacob ad Esau Gen. 27. Hoc fatum est multarum familiarum vel gentium prædaticum ac Barbararum. Optimus digladiator est, de quo Gen. 3. v. 24. dicitur: *Collocavit ante paradysum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilen ad custodiendam viam ligni vite.* Ex ordine hoc Angelorum dicuntur *Cherubim* ab excellentissima scientia, quâ à Deo dotati. Et ideo per aptè hic ponuntur quasi vindices divinæ omniscientiæ, quam Adam & Eva per esum pomi ambie-

rant. Cherubim etiam custodes sunt ligni vitæ, ut ab ejus accessu imò conspectu arceant non tantum homines, sed & Dæmones. Nam hi tali amuleto & spe immortalis vitæ homines facile ad suum obsequium & idololatriam pertraxissent. *Flammens* gladius dicitur à splendore & acumine, ut vibratus flammæ & fulmina vomere videatur. *Versatilis* dicitur, quod aptus sit facillimè verti in omnem partem utpote anceps & utrimque secans. Sed hæc de gladio non materiali, sed metaphorico intelligenda sunt nempe de potentia & viribus Angelicis. Petrus etiam gladiator erat, & postquam dixerat Luc. 22. v. 49. *Si percutimus in gladio, sine percutiemusne gladio?* non expectato à Christo responso: *Percussit servum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.* Sed Matth. 26. v. 52. ei dixit Christus: *Converte gladium tuum in locum suum.* Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Hoc altè cordi ducant ad rixas & extrahendum gladium adeo proni maximè dum incaluere mero. Contra hostes, si vi professionis tuæ gladius educendus, ostende generositatem tuam.

Portitores, Saltatores.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Unusquisque onus suum portabit. Gal. 5. *Tempus plangendi & tempus saltandi.* Eccl. 3. *Requiescent ibi bestia* (ita Isaias c. 13. prædicens excidium Babylonis per Per-
sas)

fas) habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt. Ibid. v. 21. id est Dæmones, qui solent hirsuti specie hircocervorum & similium immundorum animalium Viatoribus in sylvis & desertis locis apparere. In lascivis saltibus etiam certè adsunt inter salaces puellas, quæ sunt *Sirenes in delubris voluptatis*. Ibid. v. 22. Talis Siren Matth. 14. & Marc. 6. erat filia Herodiadis, quæ lascivis saltibus dementans Herodem Regem instinctu matris petit caput Joannis in disco. *Cecinimus vobis, & non saltastis, lamentavimus, & non planxistis*. Matth. 11. Erat ludi genus, in quo pueri in duas classes divisi diversas hominum conditiones instar Democriti & Heracliti præsentabant unâ classe lamentante alterâ tibiis læta cantante. Reliquis liberum erat, cui se vellent classi adjungere. Sed sicut morosi pueruli neutro lusu trahebantur, ita Christus hinc insinuat Judæos nec planctu, id est, severiore vitâ Joannis Baptistæ, nec suaviore & laxiore vitâ Christi ad conversionem ac salutem provocari. *Venit Joannes neque manducans neque bibens, & dicunt, Demonium habet*. Ibid. v. 18. *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus*. v. 19. Porro dum Joannes nec manducasse nec bibisse dicitur: *Supple* more communi aliorum hominum, quia in deserto tantum pascebatur locustis & melle sylvestri. *David saltabat totis viribus ante Dominum* 2. Reg. 6. v. 14. scilicet ante arcam. Sic & hodie in terris aliquibus saltatur ante V. Sacramentum,

Qs

dum

dum id circumfertur. Omnia pendent à bonâ intentione, & ab abrogatione omnis abusûs. Epternaci in solo Ducatûs Luxemburgensis celebres sunt *die stringende Hayligen*. Quod in prænam certus districtus hominum facere debet ob virum sanctum à Majoribus illisum. Moyes de monte descendens, audiensque Israelitas circa vitulum aureum saltantes præ indignatione projecit & diffregit tabulas lapideas, ubi Decalogus digito Dei inscriptus erat. In lascivis saltibus diebus festivis sæpè infringuntur mandata Dei.

Cursores.

Dormitabis manus conferes, ut quiescas, & veniet tibi quasi cursor egestas & mendicitas quasi vir armatus. Prov. 24. Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum. Job. 9. Hoc de omnibus diebus & actionibus tuis potes dicere, in quibus non quaesivisti finem tuum ultimum. Considera, an non te feriat illud Senecæ: quod magna pars temporis elabatur male, maxima nihil, scilicet in ordine ad coronas æternas, tota aliud agenti quam finis tuus ultimus exposcat. Guilielmus quidam Duci Burgundiaæ toto vitæ tempore fuerat à servitiis, nec unquam de fine suo ultimo cogitavit. Mortem vicinam persentiens hoc iussit lapidi sepulchrali suo insculpi Epitaphium: *In hoc tumulo situs est Guilielmus, qui vitam suam consumpsit in Aula, & ex mundo abiit ignarus, in quem finem intravit.*

fer. Et hinc est, quòd urgeam, ut diligenter te exerceas in frequentibus per diem ad Deum suspiriis & mentis in eum ex quacunque re occurrente elevatione.

Milites.

*M*ilitia est vita hominis super terram, & sicut dies Mercenarii dies ejus. Job. 7. Ergo indies pugna pro cælo, mercare cælum. *L*abora sicut bonus miles Christi JESU. 2. Tim. 2. Nunquid est numerus militum ejus? Job. 25. in Ecclesia militante, triumphante. S. Archangelus Michael fuit primus Belli-Dux in prælio commisso in cælo. *C*unctis diebus, quibus nunc milito, expecto: donec veniat immutatio mea. Job. 14. Interrogabant autem eum (Joannem Baptistam) & milites dicentes: quid faciemus & nos? & ait illis, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Luc. 3. A stipendiis vocantur milites germanicè *Soldaten*, à rapiendo *Krieger*. Exod. 16. *Manna cecidit extra castra.* Per *Manna*, ait Rupertus Abbas, divina intelliguntur gratia, qua plerumque extra castra infunduntur. Cùm in castris nil audire sit, nisi maledicta, imprecationes, obscænos sermones, variasque libidines. Rusticus quidam dicere solebat, nobis benè erit, si Deus vota militum exaudiat, quæ plerumque sunt: *Diabolus me auferat.* Cùm in galea militis aliquando ni-

Q 6

dum

dum suum posuisset columba, Poëta occasionem sumplit sic canendi:

Militis in galea nidum posuere columba

Inde patet Marti, quam sit amica Venus.

Probi milites communiter sunt valdè probi. De Centurione deprecante ingressum Christi in domum suam, & petente, ut uno tantum verbo dicto sanaret servum suum. Dixit Christus: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Matth. 8. Multi milites confundent suo tempore religiosos. Nos omnes, quorum majores gentiles fuerunt, omnia bona debemus duobus militibus. Cornelius Centurio à S. Petro baptizatus *vir religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multas, & deprecans Deum semper.* Act. 10. Promeritus est primus inter gentiles visionem Petro factam in linteo pleno serpentibus aliisque immundis animalibus. Viscus ei significabatur, gentiles ad Ecclesiam Christi vocatos esse. Ab alio milite omne bonum scilicet apertura ad cor JESU in Cruce provenit. *Unus militum lancea latus ejus aperuit.* Joan. 19. Circa Belli-Duces notandum, quòd quidam ex invidia ambitione etiam quærant gloriam, & idè infelici cum hostibus conflictu suæ patriæ ac principalibus suis plurimum noceant. Sic L. 1. Machab. c. 5. audiens *Josephus Zacharia filius & Azarias Princeps virtutes benè gestas & praelia Judæ, stimulati æmulatione dixerunt. Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes. Fugati sunt, & ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri,*

viri, & facta est fuga magna in populo, quia non audierunt Judam [sic refractariis & regimen superioris Ducis non ferentibus evenit] existimantes se fortiter facturos. Ipsi autem NB. non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel. Hinc Principes benè examinent, cui tanquam supremo Duci suum confidant exercitum. Ordinariè infidelis Deo & Ecclesiæ, pecuniis inhians, Bachelitans, aut Veneri non est de semine virorum illorum, per quos Deus salvat, & victorias largitur. Requiritur etiam in Belli-Duce, ut iræ impetus moderati sciat, nil ex subito motu, sed deliberato consilio statuatur. Sicut quidam lib. 1. Mach. l. c. *Ceciderunt in bello, dum volunt fortiter agere, dum sine consilio exierunt in prælium.*

Prælia, Arma, Bella.

Mors, sanguis, contentio & triumphus, oppresiones, fames & contritio & flagella. Super iniquos. (in pœnam peccatorum) creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus. Eccl. 40. *Factum est prælium magnum in celo.* Apoc. 12. *Inter obedientes & rebelles Angelos nolentes se subicere naturæ humanæ, si ipsa divinæ personæ uniretur. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis. Pl. 9. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi, effunde frameam, & conclude adversus eos, qui persequuntur me. Dic anima mea*
Q 7 salus

salus tua ego sum. Pl. 34. Turris David edificata
sum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea om-
nis armatura fortium. Cant. 4. Talis est ordo
religiosus, in quo studia cum virtute ac disci-
plinâ florent.

Pax.

Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia
pactis, donec auferatur luna. Pl. 7. Hoc est
usque ad finem mundi. Factus est in pace locus
ejus. Confregit potentias arcuum, scutum, gladium
& bellum. Pl. 75. Misericordia Domini, quia
non sumus consumpti. Thren. 3. In Deo faciemus
virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos no-
stros. Pl. 107. Sedebit populus meus in pulchritu-
dine pacis [dum homo inferior superiori sub-
jectus est] & in tabernaculis fiducia [erga Deum
in vita & morte] & in regione opulenta. Pl. 32.
Scilicet post mortem in cælo. Pax Dei, qua
exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra,
& intelligentias vestras in Christo. Jesu. Philipp.
4. Deus pacis erit vobiscum. Ibid. Optima pax
est, quam homo quivis habet cum Deo, proximo
& secum ipso. Exhibendo se pium erga
Deum, justum erga proximum, sobrium er-
ga se ipsum. De cætero surget gens contra gen-
tem usque ad finem mundi. Et dolendum
quod spiritus ille malignus maxime foveatur
in aulis Principum Catholicorum, & infideles
ac barbari pacta conventa religiosius obser-
vent. Subscriptâ pace Neomagenli Poëta
quidam

quidam hunc versum suum petebat legi retro-
gradè :

*Prospicimus modò , quòd durabant tempore
longo
Fœdera , nec patria pax cito diffugiet.*

CAPUT TERTIUM.

Animata sensitiva & vegetativa.

§. 1.

Animalia quadrupedia.

NE tradas bestiis animas consistentes tibi , &
animas pauperum tuorum ne obliviscaris in
finem. Pl. 73. *Ut iumentum factus sum apud te,*
& ego semper tecum. Pl. 72.

Leo.

NE quando rapiat ut Leo animam meam, dum
non est, qui redimat, neque qui salvum fa-
ciat. Pl. 7. *Sobrii estote, & vigilate; quia ad-
versarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens
circuit, querens quem devoret, cui resistite fortes
in fide. 1. Pet. 5. Hoc in agone maximè facit
Diabolus sciens, quia modicum tempus habet.
Apoc. 12. Vicit Leo de tribu Juda. Apoc. 5.
Christus, Agnus NB. aperuit librum [scilicet
vitæ] quem nemo aperire poterat, & ut S.
Bern. observat, postmodum apparuit leo. Erit
nempè agnus erga insistentes vestigiis suis, erga
reprobos futurus leo in æternum.*

Aper,

Aper, Cervus, Caprea.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes
 aquarum, ita desiderat anima mea ad te
 Deus. Pl. 44. Sicut perdix inducitur in caveam,
 Et ut caprea in laqueum, sic Et cor superborum.
 Eccli 11. Destruxisti maceriam (sepe in murum
 vineæ) Et vincemiant eam omnes, qui pratergre-
 diuntur viam. Aper de sylva, Et singularis ferus
 depastus est eam. Pl. 79. Applica tepido laxo re-
 gulas, præcepta transgredienti.

Onager.

Vl vanus in superbiam erigitur, Et tanquam
 pulum onagri se liberum natum putat. Job.
 5. Talis est nobilis indoctus, ceris majorum
 intumescens, & nil habens ex propriis talentis
 vel meritis, & tamen cæteros omnes despiciens.
 Onager in desiderio anime sue attraxit ventum
 amoris sui, nullus avertet eum. Jerem. 2. Ona-
 ger sive asinus sylvester teste Plinio animal sala-
 cissimum, cum æstuat in consortem suam, ca-
 ptat auram & odorem femellæ, & tantâ in eam
 contentione fertur, ut nullus eum avertere pos-
 sit: idem furor est in onagra respectu onagri,
 quem per saltus & nemora furibunda inlequi-
 tur. Sic Jeremias dicit exarsisse Israelitas in
 idola sua. Idem est de mare & scæmina homine
 perditè se amantibus. Nam quos innata inge-
 nuitas, educatio, timor Dei non cohibet, hi
 pudore

pudore semel deposito instat bestiarum se gerunt. Onagra velocissimo cursu suo Venatores insequentes eludit: capitur tamen facile, cum generationi vacat, foetu ac mensuris laborat. *Hinc omnes, qui querunt eam, in mensuris eius inveniunt eam.* Jerem. 2. Ita in sensu literali à Jeremia intento Israelitæ perduto suo idolorum cultui addicti facile cesserunt in prædam Ægyptiis & Chaldæis. In sensu tropologico teste S. Greg. facile in prædam cedit Diabolo luxuriæ luto infixus.

Lupus.

Benjamin lupus rapax Gen. 29. In sensu bono applicatur zeloso operario. S. P. Nostri insigne gentilitium lupus erat. *Lupus & agnus pascentur simul.* Il. 65. Barbarus benè natus, à natura ferus & mitis in eadem Ecclesia, religioso ordine. Hypocritæ *sub vestimentis ovium, exteriori morum compositione, intrinsecus sunt lupi rapaces.* Matth. 7. *Mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. Viros Apostolicos inter Barbaros inveteratos peccatores. Et certè sic Apostoli, sic eorum vestigiis insistentes usque modo viri Apostolici mansuetudine suâ ac humilitate gentiles lupis atrociores subjecerunt. *Acquisivit humilitas, superbia quod amisit, & grex pusillus ac mitis totas & varias edomuit propriâ mansuetudine feritates. Pusillus grex vicis ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit jugo Christianorum.* S. Chrysol. advertite hic, quo-

quomodo in eodem sæculo v. g. Lutherus Apostata aliique Hæretici ferro, cædibus, calumniis, scommatibus Catholicos ab avita fide ad hæresin suam perduxerint. Et S. Xaverius Apostolicis insistens vestigiis humilitate & mansuetudine tot centena gentilium millia ad Christum perduxerit. Et inde collige veræ Ecclesiæ notam.

Vulpes.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas nostras. Cant. 2. Imperfectiones, sensuales affectiones, venialia peccata supprimenda. *Ite, & dicite vulpi illi.* Luc. 13. fraudulento Herodi. In promptu causâ est, cur tales comparentur vulpibus, sed color subruer criminum præcisè non arguit calliditatem, licet sæpè eidem per accidens conjunctus sit. Et quomodo color ille certi quid prognosticare potest? cùm frons, oculi, vultus per sæpè mentiantur. Adagium vetus est: *Cave tibi à Germano nigro, Italo rufo, Hispano albo.* *Vulpes foveas habent, & volucres cali nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Luc. 9. Christus in Cruce, & quâ fronte tu quereris has illas commoditates tibi deesse? Vulpes trecentæ Samsonis alligatis ad caudas facibus segetes Philistinorum incendentes Jud. 15. Symbolum sunt Hæreticorum teste Ambros. & Augustin. qui blandâ facie promittunt salutem, sed caudis suis ignem æternum attrahunt.

Lepus.

Lepusculus plebs invalida. Prov. 30. Ità pū-
 sillanimis, cui semper est leo in via in ima-
 ginatione sua, dum aggredi vel exequi ardui
 aliquid deberet. Sicut Venator sub vesperum
 sine canibus aliove tumultu insidiatur lepori pa-
 scua quærenti. Sic malevoli *paraverunt sagit-
 tas suas, ut sagittent in obscure rectos corde.* Ps.
 10. Martialis quidem canit: *Inter aves turdus,
 si quis me iudice certet, inter quadrupedes gloria
 prima lepus.* Interim Judæis leporis comestio
 interdicta. Clemens Alexand. leporem putat
 esse prohibitum; quia nimis libidinosum est
 animal. Sed universim quæritur; cur anima-
 lium illorum esus tantum fuerit permissus He-
 bræis, quæ & ruminant, & ungulas dividunt;
 adeoque & leporis prohibitus sit, qui, licet ru-
 minet, ungulas tamen non dividit. Et respon-
 detur ab interpretibus S. Script. quòd univer-
 sim animalia, quæ & ruminant, & ungulas
 dividunt, temperatæ sint complexionis, & ideo
 melioris digestionis. Cætera duri ac sicci sint
 temperamenti & alimenti; & ideo ratione sa-
 nitatis prohibita sint Hebræis. Sicut & specia-
 liter porci ratione lepræ, cui obnoxii erant. Si-
 mus nos in sensu morali *animalia ruminantia*
 verbum Dei & æternas veritates sæpius ad men-
 tem revocando, & *dividentia*, dum malum à
 bono secernimus.

Bos, Taurus, Vacca, Vitulus.

OMnia subiecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi. Pl. 8. Quæ omnia creata sunt pro nutrimento & recreatione hominis. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognovit. Il. 1. Irretiit eum multis sermonibus; statim eam [Meretricem] sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lascivientis, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus. Prov. 7. In jecore sedes appetitus concupiscibilis, & amoris. Hinc 70. vertunt. Sicut cervus sagittatione percussus in jecur. Non te extollas in cogitatione anime tue velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam. Eccli 6. Sicut vacca lascivientis declinavit Israel. Os. 4. Circumdederunt me vituli multi (insolentes bachantes) & tauri pingues obsederunt me. Pl. 21. Applicatur Christo per tribunalia raptato. Occidite vitulum saginatum, & epulemur, quia filius meus mortuus erat, & rediit. Luc. 15. Talis filius prodigus tu es, qui verè pœnitens saginatis carne tui Redemptoris,

Porcus.

Melius non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti ab ea, canis reversus ad vomitum, & sus lota in volubro luti. 2. Petr. 2. Geraseni, qui ob porcos à

Dæmonibus oblectos, & in mare se præcipitan-
tes viso JESU rogabant, ut transiret à finibus eo-
rum. Matth. 8. Designant homines cum detri-
mento temporali nolentes seruire Deo. Sicut
filius prodigus cupiens implere ventrem suum de
siliquis porcorum, quæ nemo ei dabat. Luc. 15.
Symbolum est luxuriosi.

Canis.

Nolite dare sanctum canibus. Matth. 7. Sa-
cramenta indignis. *Canis secutus est eum.*
Tob. 6. Symbolum fidelitatis. Quòd verbum
divinum tam exigua de cane Tobia memoret,
v. g. quòd præcucurrerit, & quasi nuntius ad-
veniens blandimento suæ caudæ gaudebat. Tob.
11. [quæ nec ad mores præcisè aut instructio-
nem aliquam faciunt] signum est, quòd mini-
ma quæque commemoret subin Deus de justis;
eò quòd eos amet ob cor erga se rectum; dum
de magnis coram mundo & peccatoribus aut
de grandibus eorum, sicut mundo videtur,
gestis nequidem facit mentionem. *Non est bo-
num sumere panem filiorum, & mittere canibus
etiam Domine: Nam & catelli edunt de micis,
quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Respon-
dens JESUS ait illi: O mulier! magna est fides
tua. Fiat tibi, sicut vis. Matth. 15. Lazarus cu-
piebat saturari de micis, quæ cadebant ex mensa
divitis, & nemo illi dabat. Luc. 16. Ex his binis
textibus discite primò malè fieri, quòd Magnates
tantam copiam canum alant, pro illisque etiam
ad*

382 *Pars secunda de elevatione*
 ad delicias tractandis sint solliciti ; & non pro
 necessitate sublevanda pauperis Lazari. 2dò.
 Quòd primùm Judæis, & illis reventibus evan-
 gelizatum postmodum sit gentilibus. 3tò.
 Quòd humilitas & constantia in petendo omnia
 apud Deum evincant. *Canes veniebant, & lin-
 gebant ulcera ejus. Factum est autem, ut more-
 retur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum
 Abrahe. Dives, sepultus est in inferno.* Luc. 16.
 Ecce grandius discrimen inter divitem & paupe-
 rem post mortem, quam in vita utriusque. *Vi-
 dete canes, videte malos operarios, videte concu-
 sionem.* Philipp. 3. Tales sunt sub prætextu pie-
 tatis, justitiæ aut famæ tuendæ, mordentes, la-
 trantes, scribentes, dicentes calumnias erga pro-
 ximum ; adeoque à bono genio ad latrandum
 non excitati, causantes in consortiis, congrega-
 tionibus, in quibus sunt, turbas & dissidia.
*Foris canes [rixatores mordaces] & venefici, &
 impudici.* Apoc. 22. Nam hi omnes è cælo ex-
 cluduntur.

Oves, Agni, Arietes.

Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet
eos. Pl. 48. Sicut oves benè pastæ ex lætis
 pascuis ad macellum aguntur, & in angusto lo-
 co una super aliam compingitur : sic in inferno
 unus damnatus projicitur super alterum. Et
 sicut animal herbas comedens non absumit si-
 mul radicem, sed ità herbam depascit, ut vita
 ejus vegetativa maneat. Ità mors in inferno
 damna-

damnatum continuo arrodit, lancinat; ita ut tormenta semper omni morte acerbiora infligat, & tamen nunquam vitam ipsam tollat, *Congratulamini mihi* (dicit Christus ad Angelos ratione humani generis) *quia inveni ovem, qua perierat.* Luc. 15. *Eratis olim sicut oves errantes, & conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* 1. Petr. 2. *Nos autem populus tuus & oves pascuae tuae confitebimur tibi in seculum.* Pl. 78. *Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Pl. 73. *Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit.* Il. 53. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joann. 1. Bis dixit Christus ad Petrum: *Pasce agnos meos, & semel ex post pasce oves meas.* Joann. 21. Ut ostenderet maximam curam tenerae aetati esse adhibendam. Et Petro ter contestanti amorem suum reposuit continuo, ut ergo pasceret agnos & oves sibi concreditas; eo quod in proximo juvando vel maxime consistat amor erga Christum. *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sequuntur agnum quaecunque ierit.* Apoc. 14. *Dicunt montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos ab ira agni.* Apoc. 6. *Offerte Domino filii Dei (zelosi Missionarii) filios arietum.* Pl. 28. Peccatores inveteratos conversos. V. lib. Judic. c. 6. Quomodo Gedeon in signum, quod ipse à Madianitico jugo liberaturus esset Israelitas, petierit à Deo, ut in vellere lanæ ab ipso in area posito solo esset ros, & in contigua terra ubique siccitas primâ nocte, & in secunda nocte
solum

solum vellus siccum maneret, & omnis terra
 rore madens. Duo hæc signa ex magna erga
 Deum fiducia, & ad commilitonum suorum
 fiduciam augendam petiit Gedeon. *Symbolice*
 petiit primo loco sibi tanquam vili vellere rorem
 gratia & opis cælestis. 2do. Eandem gratiam
 petit terræ reliquæ sive omnibus suis commilito-
 nibus. *Allegoricè* ros cælestis doctrinæ ele-
 ctionis & gratiæ, quæ prius solum vellus Ju-
 daicæ Synagogæ humectarat, postea exsiccatis
 & reprobatis Judæis humectavit & fecundavit
 universam gentilitatis terram. Orig. Hieron.
 Ambr. August. teste Ambrosio conformiter Pl.
 71. v. 6. *Ros in vellere* est Christus in utero
 Virginis sine hujus corruptione silenter & tran-
 quillè Spiritu S. irrorante delapsus. Teste Gui-
 lielmo Mennens l. 3. *aures velleris* Philippus bo-
 nus Burgundiæ Dux, cum nobilissimum *aures*
velleris equitum ordinem Anno 1430. tertio
 Idus Jan. institueret, non minùs ad hoc *Gedeo-*
nis vellus, quàm ad illud *Jasonis* fabulosum
Colchide animum intendit. Ut scilicet nobi-
 lissimi heroes illi ordini adscripti meminissent
 se veros præstare *Gedeones*, & Baalis alas ac lu-
 cos, Turcicas Moschæas, hæreticaque con-
 venticula excindere, & Madianitas omnesque
 Dei hostes extirpare debere.

Asinus.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non
 est intellectus. Pl. 31. *Cibaria virga* & omnis
 asinus

asino, panis, & disciplina, & opus seruo. Eccl. 33.
Aut seruiat ut seruus, aut fugiat ut cervus. In
magno pretio erant capita asinina 4. Reg. 6.
dum Samariâ obsessâ *venundaretur caput asini*
80. argenteis. Infelix Respublica, Aulæ, Magi-
stratus, urbes, cœnobia, ditiones, ubi magni
valent capita asinina. Quod magni valeant, au-
rum & argentum sæpè causa est. *Ecce Rex tuus*
venit tibi mansuetus sedens super asinam. Matt. 21.

Equi.

F*Acti sunt ei (Salomoni) mille quadrin-*
genti currus, & duodecim millia equitum,
equi de Egypto & de Coa. 2. Par. 1. Hæc purè
spectabant ad pompam Aulæ. Similem non
habent moderni Reges pro custodia corporis.
Interim ipso Salomone teste omnia vanitas.
Fallax equus ad salutem. Ps. 32. Hinc non amo
juvenili impetu incitantes ad cursum equos, &
omniam minimè id convenit religiosis. *Fla-*
gellum equo & canis asino, & virga in dorso im-
prudentium. Ps. 26. Unicuique suum. Cùm
vehemens pugna esset, apparuerunt adversa-
riis de cælo viri quinque in equis, frœnis aureis
decori, ex quibus duo Machabæum medium
habentes, incolumem conserbabant, in ad-
versarios autem tela & fulmina jaciebant 2.
Machab. 10. *felicem Principem, cui militat athe-*
& conjurati veniunt ad praelia venti. Non ità
modò Deus assistit Christianis Principibus, quia
non inchoant bella purè contra infideles ad de-
fenden-

fendendam & augendam Ecclesiam; sed ex rabie ad manus in cognato sanguine lavandas, & ex ambitione ad terras alienas sibi subjiciendas. Exquiritur subinde consilium Theologicum de justitia belli; & hi sic, alii resolvunt aliter; quia qualis est facti aut juris positio, talis responsio, & qualis postmodum Confessio, talis absolutio. Quintum Evangelium à Cacodæmone suppositum: *multicolor illa ratio statim suffocat omne semen bonum, quod in cordibus belligerantium ex sanctis quatuor D. N. J. C. Evangelis enasci posset. Heu! quantum potuit (ex terris infidelium Hæreticorum, ex ipsâ terrâ preciosis Christi vestigiis pressâ, & sacrosancto ejus sanguine irrigatâ) terra pelagique parari illo Christianorum sanguine, qui usque huc fusus est, & funditur. Equum & ascensorem ejus dejecit in mare. Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare. Cant. Moys. Ex. 15.*

Si equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Jacob. 3. Cur non domamus linguam? Apoc. 6. Famosi describuntur equi. Equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret. Alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficerent, & datus est ei gladius magnus. Equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. Equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen ei mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas

testas super quatuor partes terra interficere gladio, fame, & morte, & bestis terra. Equus albus symbolum est læti & festivi prælii, cujus finis sit victoria & triumphus. Insidens huic equo Christus per suos Apostolos & Præcones Evangelii debellavit tres equites sequentes. *Impri- mis rufo* insidentem; per quem Pagani, Romanum Gentile imperium designatur. *2do nigro* insidentem; per quem adumbrantur Hæretici nigris errorum tenebris alios involventes. *3tio pallido* insidentem, per quem indigitantur Saraceni, Judæi, Antichristi affeclæ. Uno verbo omnes tres à Christo debellati repræsentant Diabolum, & omnes ejus emissarios. Apoc. 19. *Iterum videtur equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax, & exercitus, qui sunt in calo, sequebantur eum, in equis albis vestiti byssino albo & mundo.* En Cavacada, Respectu cujus crepundia sunt triumphabundi Romanorum in urbem ingressus, & omnis Principum pompa. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Omnia perdidisti, si in caelesti exercitu æternum non milites.

§. 2dus.

Volatilia.

OMnia subjecisti sub pedibus ejus. Volucres cali & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Pl. 8. Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. Job. 5.

R 2

Galli-

Gallina, Gallus.

Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum sub pennis, & noluisti. Luc. 13. Quemadmodum gallina congregat pullos suos. Matth. 23. Applica animam peccatrici toties à Deo vocatæ ad pœnitentiam, Antequam gallus cantet, ter me negabis. Matth. 26. Nemo sibi fidat, ubi Petrus ad ancillæ officinæ vocem cecidit, qui paulò antè mori præelegerat, quàm Christum negare. *Vigilate, nescitis enim, quando Dominus veniet, sero, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane.* Mat. 13. Galli ergo cantum dum audis, de lapsu & pœnitentia Petri cogita, sed & de vigilantia ob incertum mortis tempus.

Aquila.

Aquila in petris manet, inde contemplatur *eccliam*, & de longè oculi ejus prospiciunt. Job. 39. Symbolum hominis contemplationi Divinorum dediti, & supra terrena se elevantis. Vel etiam hominis insidiantis proximi bonis. Nam ut ibidem additur de Aquila: *Ubiunque cadaver fuerit, statim adest. Replet in bonis desiderium tuum. Renovabitur ut aquila juvenit tua.* Ps. 102. Symbolum crescentis in virtute, & spiritum renovantis. *Ubiunque fuerit corpus [Christi, Ecclesia] illuc congregabuntur & aquile.* Luc. 17. Viri ingeniosi, docti, & simul probi.

probi. *Assument pennas ut aquila.* If. 40. *Homines in cælum aspirantes.*

Milvus, Turtur, Ciconia, Hirundo.

Milvus in cælo cognovit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui. *Populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Jerem. 8. *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.* If. 38. *Turtures omnes noxias evitant occasiones, nec garrunt ut aliæ aves, sed gemunt. Symbolum sunt devotarum Viduarum. Eunt in montibus [per hoc evitantes pericula] quasi columba convallium omnes trepidi.* Ezech. 7. *Cautus, vigilans, sedatus, nec nimis loquax tis in conversatione.*

Passer, Pelicanus, Nycticorax.

Passer solitarius in tecto. Ps. 101. Designat hominem à terrenis abstractum divinæ insistentem contemplationi. Idem adumbrat Pelicanus. Hinc David ibidem dicit: *Similis factus sum Pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Ibid. *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Ps. 83. *Sic etiam Deus te non deseret.*

Corvus.

Considerate corvos (quascunque alias volucres) quia non seminant neque metant, quibus

390 *Pars secunda de elevatione*
bus non est cellarium neque horreum, & Deus
pascit illos. Luc. 12. Reflece ad tot sacros Or-
dines mendicantes. Dat jumentis escam ipso-
rum, & pullis corvorum invocantibus eum, Ps.
146. Pulli corvorum, quamdiu non nigrescunt,
non accipiunt escam à senioribus putantibus
eos non esse pullos suos; Interea temporis Dei
providentiâ in nido nascuntur vermes, quibus
nutriantur, & creseunt, Ità Physici.

Struthio & Accipiter.

Struthio derelinquit ova sua in terra, obli-
scitur, quòd pes conculcet ea; aut bestia agri
conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sui
sui; privavit enim eam Deus sapientiâ, nec de-
dit illi intelligentiam. (Symbolum parentum
non attendentium ad proles suas) Interim pro
propria tuenda vita satis curam agit. Cum tem-
pus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum,
& ascensore ejus. Job. 39. Utinam tu similiter
insidiantes corpori, & animæ eludas. Non-
quid per sapientiam tuam plumescit Accipiter ex-
pandens alas suas ad Austrum. Job. 39. Natu-
râli instinctu expandit is alas suas ad Austrum,
seu flatum venti Australis. Qui, quia lenis est
& calidus, laxat corpora & poros, ut plumæ
facilius excidant, & ipse novis plumis succre-
scitibus quasi rejuvenescat, & quot annis de
novo plumescat. Symbolum est spiritualis reno-
vationis teste S. Gregorio.

Columba.

Sicut corvus à Noë Gen. 8. ex arca emissus, qui non revertebatur; eò quòd escam in cadaveribus reperisset, symbolum est hominis carnalis; sic columba signum pacis Deum inter & homines, quæ ex arca emissa rediit ad Noë. Ad vesp̄eram portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Ibid. Ephraim quasi columba seducta. Ol. 7. Adolescens seductus. Quis mihi dabit pennas sicut columba, & volabo, & requiescam. Pl. 54. Symbolum animæ suspirantis in cælum, & non nisi in Deo quiescentis. Vel etiam cum S. Scholastica instar columbæ cælum petentis: Si dormiatis inter medios Cleros, penna columba deargentata, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Pl. 67. Cleros græcè sortem significat. Sensus ergo literalis est. Si vos Israelitæ post tam longam peregrinationem victis hostibus felicem agatis vitam, & in medio sortium vestrarum, sive in terra promissionis sorte vobis dividendâ blandè quiescatis. Tunc eritis candidi, sicut pennæ alicujus nivæ columbæ, cujus dorsum habet fulgorem auri. Sive eritis geniales, facie hilari ac serenâ. Sicut columba albis ac flavis ejusmodi pennis ornata solet esse blanda, & hilariter se girare. In sensu mystico mundus est Ægyptus & desertum, per quod transierunt Israelitæ. Terra promissionis, sorte divinâ, & ex speciali gratia data, est ordo religiosus. In hoc adinstar columbæ hilaris

suaviter quiesces ; si gratis tibi datis coopereris, & debitæ studeas perfectioni. Certè Cardinalis Bellarminus vir ille magnus dicere solebat, nescivisse se, dum religiosus erat, quid sit tristitia, nescire se, dum Cardinalis esset, quid sit lætitia.

Spiritus S. descendit sicut columba. Matth. 10.

Quæres cur magis in specie columbæ, quam avis alterius appareat Spiritus Sanctus. Respondeo ; ob septem dona Spiritûs sancti, quæ per columbam, ejusque qualitates melius exprimuntur, quàm per alias volucres. *Primo Donum Simplicitatatis* juxta illud Christi Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ.* 2dò, *Donum Scientiæ*, quia columba ex pabulo sibi objecto optimè separat bonum à malo, *si separaveris pretiosum à vili quasi os meum eris.* Jerem. 15. 3tò. *Ob donum Consilii*, sicut enim columba non tantùm sua, sed etiam alia ova aperit, & pullos etiam non suos nutrit, & protegit. Ità viri *donum Consilii* habentes id etiam communicant iis, quibus non tenentur, vel qui non merentur. *Consilium illorum sicut fons vitæ.* Prov. 21. 4tò. *Ob donum Intellectûs*, sicut enim columba libenter residet ad fluentia ; ut se undis immergendo salvare possit à milvo, sic habentes donum intellectûs *resident super fluentia plenissima.* Cant. 5. Sacrarum Scripturarum, & immergentes se in earum sensum effugiunt insidias innumeras animabus à Diabolo structas. 5tò. *Ob donum Pietatis vel Mansuetudinis.* Sicut enim columba est sine felle, patiens, discipli-

nata,

nata, moderata, amabilis, sic habentes donum pietatis evitant iram proximorum, acrimoniam & amaritiam, & erga omnes exhibent juxta illud 2. Petr. 1. *In patientia pietatem. 6. Ob donum fortitudinis.* Sicut enim columba non ponit nidum in arboribus, sepibus, &c. ut aliæ aves, sed in foraminibus petræ aut murorum, in arcibus & domibus, quæ percurrere non possunt rapaces volucres: & sicut columba non nidificat in medio, vel in fine, sed *in summo ore foraminis.* Jerem. 8. Ut in periculo statim expeditior sit ad avolandum, ita viri pii, & in Deo fortes mente semper habitant in vulneribus Christi, & maximè sacro ejus latere tanquam cavernâ securissimâ, nec cum affectu noxio, aut nimio erga præsentia divertunt in hospicio mundi hujus, & sic iis nec adversa, nec prospera, nec Diabolus cum omnibus suis ministris nocent. *7. timò. Ob donum timoris.* Sicut enim columba per hoc se conservat, & fortis est, quòd omnia tuta timeat, atque ut secura sit, plus ac opus esset, elevat se supra nubes aliasque cautelas adhibet, juxta illud Ps. 8. *Posuisti firmamentum ejus formidinem.* Ità vir, etiam maximè religiosus per hoc fortis, securus, & in bono constans est: quòd in vita hac pariter omnia tuta timeat, cautus & providus sit in omni conversatione, nullatenus sibi, aut viribus suis ac virtuti fidens. Hinc Eccl. 2. dicitur: *Serva timorem Domini, Et in illo NB. veterasce.* Et Eccl. 9. *In timore Dei sit tibi gloriatio.* Equidem perfecta charitas foras mittit timorem.

morem. I. Joan. 4. Sed NB. *pœna*, non *culpa*. In quam ob defectum iusti timoris ceciderunt viri etiam sanctissimi in apice montis perfectionis confidentes & exaltati sicut cedri Libani.

Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, Et in Angelis suis reperit pravitatem. Job. 4. Et quod stupendum; *Henoch placens Deo factus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne filio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentia transvertit sensum sine malitia.* Sap. 4. Hoc est illum, qui alioqui malus non est. Erat autem Henoch antequam à Deo raperetur jam tum 360. annorum, & constanter ambulavit cum Deo. Et tamen raptus est, ne tandem malitiâ hominum perversorum, malorum exemplorum, aberrantium à vera fide & bonis moribus opinionum, quibus imbui potuisset, corrumpere. Ità Interpretes communiter. Hæc veritas in se semper confortat in principio toties tibi inculcato. Quod homo societatis, & variis ob ministeria cum proximo periculis expositus iustum metum suum, juxta illud: *Qui stat, videat ne cadat*, ostendere saltem debeat in his tribus: *Observatione spiritualium, operum pœnitentiæ, & evitacione omnis vana sensualisque conversationis, maxime sine socio, & teste viri juxta Reg. 18. Sacerdotum.* Horum trium neglectus præfidentiam nimiam in semetipso magis semper adauget, omnisque gravis lapsus, & Apostasiæ juxta communem Alcegarum est initium.

tium. Hæc iterum iterumque inculco eo fine,
ut nunquam obliviscaris.

Apes.

Brevis in volatilibus est apis, & initium dul-
coris habet fructus illius. Eccli. 11. Sic mi-
nora in oculis hominum sæpè meliora. Cir-
tum dederunt me sicut apes, & exarserunt sicut
ignis. Pl. 117. Symbolum hominis probi à
malis vexati.

§. 3^{tius}.

Animalia repentia, natantia, insecta vermes.

Serpentes, Dracones.

Serpens [avernalis] decepit me. Gen. 3. Ser-
pens erat callidior cunctis animantibus terra,
qui dixit ad mulierem [Deus conservet te, quan-
do Diabolus & mulier simul tentant] ait Deus
ad serpensem. Maledictus es inter omnia animan-
tia. Inimicitias ponam inter te, & mulierem.
Ipsa conteret caput tuum. Gen. 3. Benedicta Vir-
go Dei Mater immaculatè concepta. Fel Dra-
conum (in inferno) vinum eorum, & vene-
num aspidum insanabile. Deut. 32. Super aspidem
& basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem &
draconem. Pl. 90. Acuerunt linguas suas sicut
serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum, Pl.
139. Detractorum, calumniatorum, adulato-
rum, seductorum. Serpentes genimena viperarum,
quemodo fugietis à iudicio gehenna. Matth.

23. Crudeles, Pharisei, Pseudopolitici, &c. Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Joan. 3. Serpens ergo æneus num. 21. quem aspicientes sanabantur à vulneribus ignitorum serpentum, typus est JESU Christi Crucifixi, in quem sive ab homine, sive à Dæmone tentatus devotum debet defigere obtutum. Virga Aaron versa in colubrum, quæ coram Pharaone virgas Magorum pariter præstigiis Dæmonum in Dracones versas sive apparentes sive substitutos devoravit Exod. 7. Ostendit Dei præ Dæmone vires.

Formicæ.

*V*ade ad formicam piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ cum non habeat Ducem nec Præceptorem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quæ comedat. Prov. 6. Stupenda Dei potentia ac providentia, prudentiam & curam pro futuro tam parvo indens animalculo.

Rana, Locusta aranea.

*M*isit in eos (Ægyptios) cœnomyniam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos. Dedit crugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. Ps. 77. Sic Reges & potentes humiliare & perdere potest Deus per tam parva ac vilia. Sic via omnium, qui obliviscuntur Deum, sicut tela

tela araneorum fiducia ejus. Job. 8. Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus. Verumtamen vanè conturbatur omnis homo. Ps. 38. Anima hic ponitur pro homine ità morbis aliisque angoribus extenuato, ut exhausta aranea. Et tamen homo talis cupit vivere ulterius, conatur hos illos conceptus in effectum deducere, licet omnes ejus conatus instar telæ araneartum facile dissolvantur. Telas aranea texuerunt, tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Il. 59. De quam multis hoc dici potest.

Cæte, Pisces.

Sicut fuit Jonas in ventre cæti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terra. Matth. 12. In Jona mari immerso, à cæte deglutito, & ad littus ejecto vides, quomodo salvet Deus, dum omnia videntur esse desperata; Loquere terra, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Deut. 2. Tam ingentia ac innumera monstra Dei potentiam ac sapientiam. Accipiens septem panes & pisces, & gratias agens dedit, & comederunt omnes, & saturati sunt quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres. Matth. 15. Exentera hunc piscem [dicebat Raphael ad Tobiam] Et cor ejus, & fel, & jecur reponere tibi. Sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter, cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat

omne genus demoniorum sive à viro, sive à muliere,
 ita ut ultro non accedat ad eos, & fel valet ad un-
 guendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sana-
 buntur. Tob. 6. Piscis ille probabilius fuit Cal-
 lionymus, qui vasto est corpore, carni vorus,
 & voracissimus, dentes serratos & oculos ha-
 bens in summo vertice; unde & calum intuent
 vocatur. Fel habet copiosius, quam alii ejus
 magnitudinis pisces. Et hoc teste Plinio ac Ga-
 leno naturalem vim habet albugines oculorum
 detergendi. Et hinc Tob. 11. dicitur: *Linitis
 hoc felle oculis Tobia post dimidiam ferme horam
 cepisse albuginem quasi membranam ovi egredi,
 qua detracta visum recepit.* Unde etiam patet
 stercore hirundinum non fuisse in oculis Tobia
 extinctum humorem chrySTALLINUM, aut vim
 visivam internam, sed solâ pelliculâ exterius
 obductos fuisse oculos. Alioqui non potuisset
 vel illo felle, vel alio medicamento naturali,
 sed solâ virtute divinâ visum recuperare. Sicut
 cordis vel jecoris ejusdem piscis exusti fumus
 internâ vi aut propriâ virtute non poterat pel-
 lere omne genus Dæmoniorum. Vis etiam su-
 pernaturalis tali cordi vel fumo cælitus non est
 affixa perpetuo. Qualis est in aspersione aquæ
 benedictæ ad fugandos Dæmones, vel in loti-
 one Baptismi ad remittenda peccata. Ex nullo
 enim S. Script. loco colligi potest. Tale instru-
 mentum à Deo in eum finem vim illam specia-
 lem accepisse. Extricavit ergo Dæmonem fumus
 ille solâ vi extrinsecâ nempè Angelicâ, ad talis
 signi positionem prouducente talem effectum,
 idque

idque intuitu obedientiæ Tobiaë in illo fumo, ut erat iussus excitando, & precum piarum ejusdem. Et sic etiam Diabolus signo externo hoc vel illo posito commovet aerem, veneficio afficit homines. Vides interim in Tobia & Sara, quam amabili providentiâ Deus percutiat & sanet, & fideles exerceat, ut prosperitatis & adversitatis continua sit quasi successio. Et quid tu homo imperfecte ac peccator de ejusmodi permutatione quæteris? nunquid Christo Filio Dei, à nativitate ejus usque ad mortem Crucis, idem contigit?

Vermes.

Putredini dixi: Pater meus es, & soror mea vermibus. Job. 7. Ego sum vermis & non homo. Ps. 21. Christus ita pro nobis humiliatus. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Is. 66. Vermis conscientiaë & tormenta cruciabunt damnatos in æternum.

*§. 4tus.**Animata Vegetativa.**Arbores in genere.*

Arbores autumnales, infructuose, bis mortuæ, eradicatæ. Ep. Jud. 12. bis mortuæ, primò dum arefcunt, 2dò dum eradicantur. In autumno priùs incipiunt folia protrudere, quæ hyemali frigore mox absumuntur. Symbolum sunt hominis in senectute, in morte volentis se
ad

ad Deum convertere ; sed non conversione genuina , licet aliqua devotionis ac pœnitentiæ signa det. Qualis divina providentia ? ut unde mors oriebatur , inde vita resurgeret ; & qui in ligno vincebat (in Paradiso) in ligno quoque vinceretur. In monte Calvariæ. Cum aqua dederet terram , sanavit sapientia per contemptibile lignum justum gubernans. Sap. 10. Scilicet Noëm per arcam. Hæc arca typus erat Crucis Christi. Si ceciderit lignum ad austrum , aut ad aquilonem , in quocunque loco ceciderit , ibi erit. Eccl. 11. Hoc malè applicant Calvinistæ erroribus suis de prædestinatione principii. Arbor ad partem illam cadit ; ad quam , antequam caderetur , inclinavit. Et talis est communiter mors hominis bona vel mala , ad quam , per virtutem vel vitia , vivens inclinavit. Qualis vita , finis ita. Hinc maturè ad bonam partem , etiam cum violentia , te debes inflectere. Ne pravus habitus magis magisque radicans te duriorrem erga obsequium Deo debitum reddat. Deque eo in agone ingemiscens dicas : *Quasi avulse arbori abstulit spem meam* Job. 10. Hoc experitur in agone , vitiis carnalibus , mortali odio , avaritiæ deditus , & qui bona aliena deberet reddere ; sed ob confusionem sui , aut pauperiem suorum inde proventuram ad id non vult se resolvere. *Securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor , que non faciet fructum bonum , excidetur , & in ignem mittetur.* Matth. 3. *Unaqueque arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus , neque*

de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Luc. 6. Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus celestis, eradicabitur. Matth. 15. Sic omnia ab Hypocritis inchoata in speciem bona non diu durant.

*Arbores in specie.**Ligna Pomifera.*

ERunt fructus ejus [ligni pomiferi] in cibum & folia ejus ad medicinam. Ezech. 42. Ecce benevolam Dei providentiam. Sed major Dei bonitas eluxit in plantato in Paradiso ligno vitæ. Gen. 3. Cujus fructus vel semel degustatus vitam hominis ad plures centenos annos prorogasset vi naturali sibi à Deo insitâ, & subinde repetitus prorogasset etiam in ævum; quoad nempe Deo placuisset hominem sine morte in cælum transferre. Nec solum reddidisset hominem longævum, sed insuper sanum, robustum, à morbis, languore, tristitiâ ac melancoliâ immunem. Habebat enim vim non tantum nutritivam, sed & medicam præ omnibus pharmacis, qua & substantia corporis, & vires nutritivæ, & calor naturalis integrè restauratus fuisset. Et hæc arbor in medio paradisi sita, inter omnes alias magis speciosa *allegoricè* significat Christum, *tropologicè* sapientiam. Qualis autem speciei fuerit, divinatur, saltem reduci poterit ad genus ligni pomigeri. Altera arbor
vocata.

vocata *lignum scientia boni & mali*. Post primam specie suâ visenda sic dicta [non quod comedenti de fructu ejus verè tribueret aliquam scientiam, multò minùs excellentissimam humanâ majorem & divinâ similem. Sed quod fallax Dæmon hanc transgressoribus divini præcepti Adamo & Evæ ex ejus esu appromiserit, & Adamo ac Evæ practicam & experimentalem notitiâ dederit, quantum inter sit bonum inter & malum, obedientiam & inobedientiam, meritum & pœnam] hæc inquam arbor malum fuisse putatur aut pomum ab omnibus tamen malis nostris seu cytreis, seu aureis, seu persicis, seu vulgaribus specie diversum, quod colligi videtur ex Cant. 8. v. 5. *Sub arbore malo suscitavite. Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quando ergo pomum aspicias, in varia salutaria prorumpere poteris suspiria.

De pomis cæli, de pomis fructuum solis ac lunæ, de pomis collium æternorum benedictio. Deut. 33. Per poma cæli solis ac lunæ *in sensu literali* intelliguntur optimi, & maximè delicati fructus ob clementem cæli & astrorum influxum in eam regionem, quæ obtigit tribui Joseph. Nec solum designatur maxima terræ sæcunditas in planitie, sed etiam vertice collium æternorum, hoc est, ab ipso mundi exordio sic factorum. *In sensu anagogico* cogita de gaudiis accidentalibus Beatorum etiam quoad gustum. *Ecce unus cibus pomorum.* Amos 8. Sicut per hunc rami attrahuntur, & ex iis decerpta poma in corbem appensum immittuntur. Sic per eum indicantur

tur hastæ & spicula Chaldæorum, vel etiam unci, quibus vinciti Israelitæ ducendi erant ad carceres, supplicia, &c. *Symbolicè* mors intelligitur, quæ variis uncinis sive morborum & casuum generibus attrahit ramos pomis graves, id est, familias copiosas, è quibus decerpit robustissima capita, & quæ à morte videbantur remotissima. *Poma desiderii anima tua discesserunt à te.* Apoc. 18. sive omnia appetibilia, quibus nimium inhiasti. Hoc terrenis immersus cum summo dolore experietur in agone.

Ficus.

*C*um cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Gen. 38. Sic delusi primi Parentes ex Diis facti sunt miseri Sartores. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea.* Matth. 21. Ità maledicit Christus animæ, à qua jam tanto tempore expectat cooperationem cum gratiis ipsi datis. *Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum. Scitis, quoniam prope est aestas. Ità & vos cum videritis hec fieri (v. g. dum advertis te debiliorem fieri, morbo periculoso impeteris) Scitote quoniam prope est regnum Dei.* Matth. 21. Sic ex signis à Christo prædictis etiam colligi potest finis mundi. Zachæus gentilis, ut JESUM videret, ascendit in arborem Sycomorum, & ad Christi vocem festinans descendit, & excepit illum gaudens. Luc. 19. Non curavit ille irrisiones Judæorum,

dæorum, omnique respectu humano proculcato, & debita nummorum restitutione facta JESUM non tantum in domo sua, sed & interiori cordis recepit hospitio. Vide de hoc plura in officio de festo dedicationis Ecclesiæ.

Palma, Cedrus, Oliva, &c.

*A*scendam in Palmam (lignum Crucis) & apprehendam fructus ejus. Cant. 7. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in cades, & quasi plantatio rose in Jericho, quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Eccli 24. Loca hic enumerantur, in quibus nominatæ arbores optime crescunt. In sensu morali ea applicantur Ecclesiæ in lege scripta, dein in lege gratiæ. Item B. Virgini, animæ justæ, & familiæ à Deo benedictæ.

Ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliva, & arva non afferent cibum, abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in prasepibus. Habac. 3. Talis & major infelicitas ac sterilitas bonorum temporalium in sensu litterali, & spiritualium in sensu mystico obvenit Judæis ob casum ab ipsis Messiam. Sic etiam merito ob scelera sua plectuntur Christiani. *Vox Domini confringentis cedros, & comminet eos, sicut vitulum Libani.* Pl. 28. Nempè, sicut æquè facile prosternit Deus altissimos ac robustissimos cedros, atque tenerum
viti-

vitulum in monte Libani ; sic æquè summos atque infimos homines.

Abies, Myrtus.

Pro saluunca ascendit abies, & pro urtica crescit myrtus. Il. 55. Hic prædicitur prædicatio Evangelii, & felicitas credentium. Abies teste Calepino vocatur etiam *arbor gallica* ob candorem. Candorem animi accepere Galli, quando Clodovæus cum suis Francis factus Christianus loco tetri Bufonis pro insigni adoptavit liliū candidum. Et horum tria designant primo puritatem cordis, sive castitatem. 2do. Candorem animi, sive sinceritatem. 3tio. Religiosam ac inalterabilem pactorum conventionum observationem.

Synapsi, Papyrus.

ELucet mira Dei providentia in grano Sinapis, quod cum seminatum fuerit, minus est omnibus seminibus, que sunt in terra, & cum seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleis, & facit ramos magnos. ita ut possint sub umbra ejus aves cali habitare. Marc. 4. Idem dicitur Matth. 13. Et ideo ei Christus comparat Evangelium, quod est in mundo *regnum celorum*, & ex parvo in quatuor orbis partes excrevit. Promittit etiam nobis Christus potestatem transferendi montes, si habuerimus fidem *sicut granum sinapis*, hoc est humilem non exteriùs elatam, sed intus vivam acrem & fervidam. Granum sinapis etiam designat dictamina Evangelica,

lica, qualia sunt portare Crucem post IESUM, esse humilem, amare contemptum sui. Hæc enim sublimia pariunt merita, jungunt Angelis, & à mundo ipso post mortem procurant honores. Ut ejusmodi humilium & quasi pedibus ab aliis in vita proculcatorum post mortem ossa ac sepulchra summi Reges venerentur. In ramis talium seminum volucres cæli sive animæ devoræ semper habitant & quiescunt cogitationibus suis,

Elucet quoque mirabilis divina providentia in condenda arbuscula, quæ Papyrus dicitur, Gracilis est, altitudinis cubitorum decem, crescit in Palustribus Ægypti, & ex ea conficiuntur naves juxta illud Is. 18. *Mittit (Rex Æthiopiæ) in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Vasa hæc vocantur naves à Papyro arbore compactæ, ut moris est in Æthiopia & Ægypto. In fiscella scirpea linita bitumine & picæ positus erat infantulus Moyses. Cum filia Pharaonis in Nilo se lavans vidisset hanc fiscellam in Papyrione, hoc est cymbâ ex papyro arbore efformata. Exod. 2. Et in eâ deprehendisset parvulum vagientem, adoptavit eum sibi in locum filii. Ibid. Sic per Deum exakandus mirè è faucibus mortis eripitur, & à filia illius Regis servatur, qui ipsum & omnes Ægyptios postea tot cladibus affecturus erat. Ex eadem Papyro arbore sive tenuiore ejus filura per folia acu diducta teste Plinio Ægyptii quoque conficiebant chartam. Et hinc charta nostra, quæ non ex arbore, sed linteis contusis conficitur, propter similem tamen usum Papyrus vocatur.

Vites.

Quasi terebinthus extendi ramos meos, & racemi mei honoris & gratia. Quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Eccli 24. Ubi nota, quod flores sint simul fructus; nam aliàs sæpè spes est in iuventa florente, & fructus emanent. Applicari hic textus potest Ecclesiæ, ordini religioso, devotæ familiæ, homini justo, qui odore virtutis suæ ad omne honestum allicit, gratiam vel benevolentiam omnium sibi concilians, & venenatum procul pellens peccatum, non secus ac florens vinea odore suo serpentes, & venenata quævis pellit animalia. Deus virtutum convertere, respice de celo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua. Ps. 79. Digna Oratio pro superiore patre familias pro suis domesticis. Item vineis & bonis ad domum pertinentibus. De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhe uva eorum, uva fellis & botri amarissimi. Deut. 32. Hoc damnatis, doctrinæ hæreticæ in castæ, seductrici societati, veneras oblectationes, quæ sub finem mordent quærentibus applicari potest. Hæc erunt in medio terra, in medio populorum [v. g. in extremo die iudicii, dum paucitas salvatorum respectu damnatorum apparebit] quomodo si pauca oliva, qua remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam, atque

atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus.
 II. 24. Ascendens iudicato toto humano genere cum electis suis in cælos. Nec dubium, quin pauci respectivè salvandi sint respectu gentiliū Paganorum, Hæreticorum etiam ex supposito, quòd plures verà imbuti fide salvandi quàm damnandi sint. Sustinere hoc de Catholicis volentes talem ineunt calculum. Plures v. g. ex mille hodie natis moriuntur, antequam ad virilem ætatem perveniant. Ex his iterum plures in infantia, pueritia & ætate tali, in qua malitia necdum radices egit, & peccatum ex fragilitate vel seductione commissum dolorosè statim Confessione expellitur. In periculosissimis annis v. g. à 16to ad trigessimū multi evadunt pericula peccatorum per ingressum in religionem, vel piorum parentum, optimorum Confessariorum instructiones. Plurimi ex viris & senibus frequentant Sacramenta, extremis mununtur. Ergo de mille Catholicis, & sic computando ulterius, prudens est præsumptio, quòd plures salventur quàm damnentur. Ego id verum esse opto ex animo. Hoc doleo, quòd licet tempore Lutheri ignorantia maximè in causa fuit prædominanti hæresis. Ità modò in orbe docto sit, nescio quis indifferentissimus, ut nec multum terrere nec delectare videantur æternæ veritates, proles magis ac olim educantur ad vanitatem, & quasi dormiant, qui vel maximè vigilare vi officii deberent, dum publica scandala in omnium oculos incurrunt, vel unicè salvifica fides magis ampliari, illustrari posse

posset, honorique divino magis consuli. Quando Ministri Catholicorum Principum dicunt non esse de tempore. Judic. 9. Vide pulchrum apologum Jonathæ filii Gedeonis ad viros Sicheem, qui jugulatis super unum lapidem 70. Gedeonis filiis Abilemechum ex pellice natum sibi in Regem elegerant. Apologus est de arboribus Regem sibi eligere volentibus. Oliva, ficus, vitis, arbores omnium præstantissimæ ac fecundissimæ designant homines imperio omni ex parte dignos, qui id tamen ex studio propriæ salutis & majoris perfectionis contemnunt. Rhamnus, qui vix lignum est, & spinis exilibus & pungentibus constat, significat ad imperium ineptos, sed plenos superbâ ac sævitie tyrannos. Qui cum nil nôrint nisi pungere, affligere subditos, simulant tamen se velle suâ umbrâ eos protegere ac refocillare. Quod si quis vel tantillum contra mutiat, subito flammæ jaculantur & ignes etiam in cedros Libani, id est, optimos ac nobilissimos quosque. Plerumque tamen contingit, ut Tyranni eodem, quod in suos excitant, incendio etiam ipsi afflentur & pereant. Nam nullum violentum perpetuum; & virgam, quâ Deus utitur ad castiganda scelera nostra, postmodum in ignem conjicit & quidem avernalem. Interim qui habent jus eligendi Abbatem, Principem, Regentem, sive ecclesiasticum sive sæcularem, debent diligenter attendere. Cujus arboris qualitates publico vel profuturas vel nocituras in hoc illove candidato reperiant. *Non bibam amodo*

do de genimine vitis. Matth. 26. v. 29. Sic Christus vocabat partim species vini consecrati adhuc reliquas, nam etiam hæc revera natæ erant ex vite, partim vinum omne profanum, quod in mensa vel hydriis supererat. *Donec illud novum [id est novi & alterius generis] bibam in regno Patris mei.* Ubi scilicet juxta Pl. 35. *Inebriabimur* continuò *ab ubertate deliciarum domus Dei & torrente perpetua voluptatis.*

Quæres quomodo verum sit Christum post cœnam ultimam non ampliùs de vite bibisse, cum post resurrectionem ante ascensionem in cælum comederit adhuc, & biberit vinum naturale cum Apostolis. R. Non bibit id consueto & ordinario modo, scilicet ad servendum necessitati naturæ, quo solo modo negabat deinceps se bibiturum. *Vineam meam non custodivi.* Cant. 1. Aliorum salutem cooperans, me ipsum & spiritualia negligens. Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Prov. 24. *Applica in sensu moralis animæ, cœnobio à perfectione, regularum observantia aberranti.* *Conduxit operarios in vineam suam.* Matth. 20. Cælestis Paterfamilias à quatuor mundi ætatibus. *Quid debui ultra facere vineæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Il. 5. *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineam meam* (populo electo, Christiano religioso) *Auferam sepe ejus* (gratias, quibus eum munivi) *erit in conculca-*

calcationem (hostium animæ) & ascendent vepres & spina. Ibid. peccatorum & malorum habituum. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent. Joan. 15. Ubi benè nota, palmiti aut viti potius comparari homines ad salutem animarum, & perfectionem Evangelicam vocatos, quam aliis arboribus. Quia vitis ratione fructûs cæteris arboribus est nobilior. Benè autem præterea advertit Aug. partes aliarum arborum abscissas non semper comburi. Quia ad alia v. g. asseres, stipites, varia domuum fulcimenta vel ornamenta applicari possunt; palmites autem à vite abscissos ad nullum alium usum aptos destinari statim igni. & hinc sæpè ad minus perfectum statum vocati ab eoque se separantes mitiùs tractantur à Deo. Severiùs autem punientur ex perfectiori statu in scelera lapsi, & per ea à Deo & religione se separantes. Avertat tale infortunium Deus à dimissis è Societate JESU, & te, si in ea es, conservet. Cæterum in TO Societas JESU hoc invenis anagramma: *Vitiosa feces*. Quòd vigilantis & impigri Vinitoris est. Dices, non omnes abscissos palmites comburi, sed etiam eorum aliquos terræ inferi, & ex iis succrescere novas paulatim vites. R. Verum id esse de aliquibus vitibus in sensu physico, & etiam moralis respectu illorum, qui tùm ad sæculum redeunt, tùm aliam amplectuntur religionem. Imò ex dimisso à religione, quæ & inferiora &

altiora studia, sublimioresque scientias proficitur, etiam scholæ piæ oriri possunt, Sed consideranda est in utroque sensu & physico & morali causa, modus, &c. abscissionis palmi- tum à vite.

Frumenta.

Nisi granum frumenti cadens mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Joan. 12. Scilicet Christus pro nobis mortuus, & quilibet sibi ac mundo moriens. Cum crevisset herba, & fructum fecisset, apparuerunt & zizania [errorum infide, malorum morum] inimicus hominis (Diabolus cum suis emissariis) hoc fecit. Sinite utraque crescere usque ad messem [bonos & malos usque ad tempus mortis iudicii] & tunc dicetur messoribus: Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos (hi varias peccatorum species complectuntur) ad comburendum. Triticum autem (Electos) congregate in horreum meum. Matth. 13. Cælum.

Herba.

Homo exigui ævi. Mane (in pueritia) sicut herba transeat. Mane (in iuventute) floreat, & transeat (in virili ætate) Vespere (in senectute) decidat, induret & areseat. Pl. 59. Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui. Pl. 101. Væ vobis Phariseis, quia deci-

*decimatis mentham & rutam, & omne olus (quæ-
rentes interesse in minimis quibusque sub specie
pietatis) & præteritis iudicium & caritatem Dei.
Hæc autem (scilicet præscriptas à Deo decimas)
oportuit facere, & illa (iustitiam, misericor-
diam erga pauperes) non omittere. Matth. 11.
Melius est vocari ad olera cum caritate, quam
ad vitulum saginatum cum odio. Prov. 15. rixis
altercationibus.*

Flores, Fœnum.

Homo natus de muliere quasi flos egreditur,
& conteritur, & fugit velut umbra, &
nunquam in eodem statu permanet. Job. 14. Om-
nis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos
agri. Is. 40. brevè elanguescens. Ego flos campi,
ut lilium convallium. Cant. 2. Christus humilis
patens omnibus. Egredietur Virga de radice
Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Is. 11. Mes-
sias filius David. Coronemus nos rosis antequam
marcescant. Nullum pratium sit, quod non per-
transeat luxuria nostra. Sap. 2. Ità impii non
considerantes finem ultimum, nec finem ma-
lum luxuriarum. Homo sicut fœnum dies ejus,
tanquam flos agri sic effloreat. Ps. 102. Flos, qui
efflorescit non relicto post se fructu symbolum
est adolescentis amabilis, gratiosi multa de se
in flore juventæ promittentis, & ex post inertis
aut malæ vitæ. Considerate lilia agri, quomodo
brevescunt. Non laborant, neque nent [nimia sol-
licitudo pro temporalibus noxia] dico autem
vobis.

vobis. Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut unum ex istis. Luc. 12. Ars non assequitur naturam, & omnia vanitas. In floribus quoque videre est; quid possit stolidi imaginatio ac phantasia hominum. Si rosæ, lilia, rarissimi flores essent, quanti starent? sicut & porcus, & gallinacei pulli, si peregrè à magnis tantum Dominis comparari possent. Centum imò mille nummi dantur pro uno flore hodie vel cras putrefacto per 14. dies florente. Quid pro pauperibus? pro Dei gloria amplificanda? vix divitibus, qui opera virtutum negligunt solis immerli terrenis quisquiliis.

CAPUT QUARTUM.

Inanimata varia sive in itinere sive aliis oculis ac sensibus sese obicientia præter illa [de quibus cap. 2. §. 5. actum tanquam objectis variarum artium ac professionum hominum] & hominem demum se ipsum contemplans; & ex his, quæ in corpore & anima habet, se ad virtutem & conjunctionem cum Deo incitans.

§. 1.

Varia inanimata.

Mare, Flumina, Torrentes.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, Pl. 92. Tu dominaris potestas maris

maris. Motum autem fluctuum ejus tu mitigas.
Pl. 88. *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dextram ejus.* Pl. 88. Hoc est imperio Israelis regiones ad mare & flumina sitas adjiciam. *Quis conclusit ostia mare? circumdedit illud terminis meis, & dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Job. 38. Hoc ultimum ad littus maris stans advertis, dum disparere subito vides decumanos fluctus, quibus videbaris obruendus. Totilæ, Attilæ, & tot furentibus Tyrannis posuit Deus, & etiamnum ponit potentiam suam inflatis Regibus omnique ambitioni & superbiæ terminum suam. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Job. 31. Ubique præsentis judicis, & æternum punituri, si in statu peccati mortalis ex hac vita me evocet. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum.* Pl. 92. Per vocem intelligitur sonitus à con- & occurrentibus aquis captus. Per hos fluctus & aquarum fremitus intellige in sensu mystico motus, persecutiones, bella & calamo & gladio adversus Ecclesiam & justos. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum.* Gen. 2. Inde heu dolor excidimus. *Flumina exierunt in mare, & mare non redundat.* Ecel. 1. Mirabilis Dei providentia circa meatus subterraneos, per quos maris aquas deducens facit in summis montibus scaturire fontes, qui paulatim fluvii magni

fiunt, ut Danubius, Rhenus. Acquirunt mox hic mox ibi novas aquas, & sic summo opere aucti tandem, unde venerunt, redeunt, & in mare se effundunt. Sic homo, cujus vita sicut aqua dilabitur, à Deo ex utero materno veniens, successive debet acquirere virtutes & merita, sicque major fieri, & tandem per mortem ad Deum redire. *Flumen Dei repletum est aquis. Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus. Pl. 64. Flumen Dei sunt nubes repletæ aquis pluvialibus, quibus parat cibum in terra degentibus. Terra enim hoc modo præparatur ad ferendos fructus in ubertate.*

Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem, Pl. 123. In quo ob subitam intumescenciam & latentes scopulos aut foveas facile fuisset submersus. Reflecte hic ad pericula corporis & animæ; in quibus te salvavit Deus, & age gratias. Occurrat etiam menti torrens Cedron, per quem Christus in horto Gethsemani captus, & raptatus immaniter fuit. Torrente voluptatis tua potabis eos, quoniam apud te est fons vita, Pl. 35.

Prata, Agri.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ, ibi me collocavit. Pl. 22. Ubi in tanta copia spirituales sunt escæ. *A fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt. Pl. 4. Dei agricultura estis, Dei edificatio estis. 1. Cor. 3. Visitasti terram, & inebriasti eam [frugifero imbre]*

imbre] multiplicasti locupletare eam, benedices
coronam anni benignitatis tue, & campi tui reple-
buntur ubertate. Ps. 64. Sive benedices circulo
totius anni, qui certis temporum partibus ac
revolutionibus in modum coronæ absolvitur,
& tuâ benignitate erit fertilissimus. *Egressus*
fuerat (Isaac) ad meditandum in agro. Gen. 24.
Talis pia deambulatio tibi frequens esto.

Metalla, Gemma, Thesauri.

Quidquid ad cultum, & ad vestes sanctas ne-
cessarium erat, viri cum mulieribus pra-
buerunt, armillas & in aures annulos & dextra-
lia, omne vas aureum, argenti arisque metalla
obtulerunt Domino. Principes verò obtulerunt
lapides onichynos & gemmas, omnes viri & mu-
lieres mente devotâ obtulerunt, voluntaria Do-
mino dedicaverunt. Exod. 35. Christiani, divi-
tes, Nobiles, Principes multi solliciti sunt pro
suppellectile aurea & argentea in mensa, pro
gemmis, omnique pretioso pro ornando cor-
pore, parietibus domuum. Usque adeo amant
bibere ex aureis poculis, & mingere in vasculis
argenteis. Sed quæ illis cura est pro Dei gloria
in templis? vel pro vivis divinitatis templis ima-
gine SS. Trinitatis, hominibus inquam nudis,
egenis, eodem, quo ipsi, pretioso Christi san-
guine redemptis?

*Dominus Deus tuus introducet te in terram bo-
nam. Terram frumenti ac vinearum, terram
olei ac mellis, ubi rerum omnium abundantia*

perfrueris. Cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus aris metalla fodiuntur. Ut benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui. Dent. 8. Hoc omnibus in rerum affluentia constitutis, auro argentoque multo instructis non satis inculcari potest.

Romani olim in regione Hispania in potestatem re legerunt metalla argenti & auri, quae illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo & patientia. 1. Machab. 8. Hispani à duobus saeculis redegerunt in potestatem suam metalla auri & argenti in America. Sed quia paulatim apud eos & alias Europæ nationes defecit consilium & patientia. Et loco ejus successit impatientia praenimia auri aviditate, crudelitas, ambitio indomita inter Principes; hinc ob Europam auro inundatam sive ob aurea hæc tempora ferrea vivimus saecula.

Quia Salomon tantum petiverat sapientiam & scientiam, ut judicare ac regere rite posset populum sibi subiectum; respondit ei Deus: Sapientia & scientia data sunt tibi. Divitias autem & substantiam [quam non petivisti] & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in Regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui. Præbuitque Rex argentum & aurum in Jerusalem quasi lapides. 2. Paral. 1. Ecce quomodo Deus remuneret Reges primariam curam incolumitati sibi subiectorum tribuentes. Qualem paternum animum non ostendunt, qui ex sibi subiectis Principibus nobiles, ex nobilibus cives, ex civibus rusti-

rufficos, ex rufficis faciunt mancipia, & novas
semper terras ac subditos quærunt; quos eo-
dem fato involvant, & hoc ope eorum impe-
trant, qui auro corrupti ac occæcati concivibus
ac patriotis suis hanc malorum accertunt ilia-
dem. O si constanter Dei donis benè usus fuif-
set Salamon, iisque adhuc benè uterentur Prin-
cipes & homines opulenti. Quanta impedita
fuissent, & usque modo impedirentur mala
temporalia & æterna. Nihil est in flavâ albâ-
que terra auro & argento boni nisi bonus ejus
usus.

*Sapientiæ non adequabitur aurum, nec lapidi
Sardonicho pretiosissimo, vel Saphyro. Job. 28.
Suadeo tibi emere aurum ignitum. Apoc. 3. Ca-
ritatem Dei ardentem. Hec est pars impii apud
Deum. Si comportaverit quasi terram argentum,
adificavit sicut tinea domum suam. Job. 27. Si-
cut enim tinea vel vermis ædificat domum suam
involvens se in folia arborum ad se non perti-
nentium, eaque contrahens, & in iis se evisce-
rans, sibi in iis domicilium facit; sed vix con-
fecto domicilio decerpitur, abjicitur, & avulso
serico vermis jam in tineam commutatus pro-
culcatur, & conteritur. Simili successu se ex-
enterat impius assiduis curis & laboribus etiam
aliena corradens. Scientes, quod non corrupti-
bilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso
sanguine quasi agni immaculati Christi. 1. Petr. 1.*

*Tubalcain [filius Lamech] fuit malleator &
faber in cuncta opera aris & ferri. Gen. 4. Et
cùm Jabel ibidem nominetur Pater habitantium*

420 *Pars secunda de elevatione
in tentoriis, & Jubal pater canentium cythara &
organo, omnes ex stirpe Cain. Econtra ibi-
dem & Gen. 5. Enos & Henoch ex stirpe Sethi
dicuntur docuisse, & neglectum denuò intro-
duxisse cultum Dei, religionem ejusque cari-
monias. Hinc à Caini stirpe sive filiis hominum
videntur profluxisse illiberales, à Sethi stirpe,
sive filiis Dei ingenuæ artes. Sed & hæc omnia
demum pessumdata fuere, Quando *Filii Dei*
sive ex Setho progeniti *videntes filias hominum,*
sive ex Caino descendentium esse *pulchras* at-
tentissimo iis amore copulati fuere, & ex iis
nati sunt gigantes homines famosi, & omnis
caro ita corripit viam suam, ut diluvio totum
humanum genus Deus extinxerit præter fami-
liam Noemi. Ab ejus filiis Sem & Japhet eo-
rumque posteris denuò accepimus cultum Dei
artisque ingenuas. Chami posteris licet à Deo
maledicti fuere denuò potentes in auro, ut patet
in Nemrod ejusque posteris Babylonicis Mo-
narchis. Unde certum est, non esse benedicti-
onem propriè filiorum Dei abundare auro &
gloriâ mundi hujus.*

*Vir spurius nomine Goliath, altitudinis sex cu-
bitorum & palmi, cassis area super caput ejus, &
loricâ squamatâ (thorace ex æneis laminis squam-
matim contextis) induebatur. Pondus lorice
ejus quinque milia siclorum aris erat [id est li-
brarum ducentarum & octo] & ocreas habebat
in cruribus. Et clypeus arcum regerat humeros ejus.
Hastile autem haste ejus erat quasi liciatorium te-
xenium (æquabat crassitie jugum, circa quod*

tex-

textores telam circumvolvunt) *Ipsum autem ferrum hasta ejus sexcentos siclos habebat ferri.* 1. Reg. 17. Sive erat mucrone viginti quinque libratum præferratum. Hæc omnia tam energeticè in S. Script. describuntur, ut eò majorem fiduciam concipias erga Deum. Nam sicut Pastorculus David uno ex fundo jacto lapide prostravit in fronte percussum Philisthæum, & proprio ejus gladio caput monstro suis merè viribus confidenti præcidit progrediens contra eum in prælium in nomine Dei Israel. Sic tu & Diabolum, & mundum, & infernum totum, quorum Goliath figurâ erat, vincēs in & per Deum, fretus ejus gratiâ & tibi diffidens.

Statua, *cujus caput ex auro optimo, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibia ferrea, pedum quadam pars ferrea, quadam fictilis.* Dan. 2. Quatuor, ut scitur Monarchias designabat Assyricam, Persicam, Græcam, Romanam. Ad cujus ultimæ fictiles pedes jam dudum devenimus. Adeoque sicut lutum ac ferrum hic Daniel dicit non cohærere, sic nec cohærent Principes, licet ex cognato humano semine seu sanguine progeniti, quod prò dolor maximè verificatur usque modo in Principibus Catholicis. Adhuc unum restat, ut verificetur. Scilicet *abscissus lapis de monte. Percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos, ita ut contrita sint pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam.* Dan. 2. Lapis iste Christus est Rex æterni regni. Sed de die, quando id

inchoabitur, & Christus iudicabit humanum genus, nemo scit, neque Angeli in caelo, & hinc homines se frustra calculis & cabalis suis vexant. Per hoc, quod dicatur 1. Joan. 2. v. 18. *Novissima jam mundi hora est.* Intellige novissimum tempus. Quod, licet aetas novissima sit, quam nulla alia aetas extra legem gratiae subsequetur, tamen instar praecedentium aetatum magnam admittit latitudinem. Et licet ibidem dicat Apostolus: *Jam Antichristi multi sunt.* Hoc est Seductores, Impostores, Antidici ac hostes Christi, & Prodromi magni Antichristi. Inter prodromos tamen & praenuntios & Regis adventum, quem praenuntiant, saepe magnum est intervallum, ut patuit in penultima & antepenultima mundi aetate inter Prophetas & Christum. Hoc primaevi fideles uti & plures SS, PP. Lactantius, Cyprianus, Hieronymus, Gregorius, &c. non satis advertisse videntur, qui suis jam temporibus finem mundi instare putabant. Nos post tot saecula viventes experientia optimam rerum Magistra contrarium didicimus. Magis recepta sive opinio sive conjectura est statutum mundum per duo annorum millia in lege gratiae, sicut totidem stetit in lege naturae & in lege scripta. Si multiplicitas Regum in S. Rom. imperio prognosticon non sit vergentis ad finem mundi, saltem multum nocet vicinis debilitoribus Principibus. Quod Potentiores sibi imponant diademata, & pro tuenda dignitate regia quaerant arrondissement, sive extensionem limitum.

*Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes
eiecit de templo, nummulariorum effudit as, &
mensas subvertit. Joan. 2. Eò quòd domus ora-
tionis non negotiationis esset. Pro templo hìc
ponitur extremum templi atrium, in quo Sacer-
dotes mercaturam hostiarum in Altari immo-
landatum introduxerant accepto pretio pro clo-
catione loci ad quæstum tam opportuni. Et
quia ibi Mercatores sub umbra templi quasi in-
tuta spelunca latitantes cariore venditione, frau-
de, furto & usuris pauperes expilabant. Hinc
locum illam Christus vocavit *Speluncam latro-
num*. Jam si in atrio templi istius non debebat
permitteri negotiatio de rebus in templo offeren-
dis, quomodo in Ecclesia Christi licebit nego-
tiatio de beneficiis myrris, &c.*

*Si linguis hominum loquar & Angelorum, ca-
ritatem autem non habeam, factus sum velut as-
sonans, aut cymbalum tinniens. 1. Cor. 13. Hic
& in innumeris aliis locis S. Scriptura verus &
nova præter fidem requirit caritatem & bona
opera. Simile est regnum calorum thesauro ab-
sccondito in agro: quem, qui invenit homo, abscon-
dit, & præ gaudio illius vadit & vendit universa,
que habet, & emit agrum illum. Iterum simile
est regnum calorum homini negotiatori quarenti
bonas margaritas. Inventâ autem unâ pretiosâ
margarita abiit, & vendidit omnia, que habuit,
& emit eam Matth. 13. Applica ad quarentem
calum, Dei gratiam, viam securam ad salu-
tem æternam, & ideo omnia, quæ mundi sunt,
deserentem.*

Est

Est aurum, & multitudo gemmarum, & vultus pretiosum labia scientia. Prov. 15. Aurum suum & argentum etiam benè impendit Anno Christi 872. Basilius Imperator, dum ejus profusione copiosâ Russorum genti in fœdus pertractâ Christiana suasit suscipere Sacra, & Archi-Episcopum à Constantinopolitano Patriarcha Ignatio ordinatum suscipere. Sed dolendum, quòd Russi sicut olim veram fidem, ita ex post Schisma & hæresin à Græcis hæreditarint. Porrò memorari meretur ex Tom. 3. Doct. & Displ. Ecclesie l. 40. pag. 853. P. Mesnil, quomodo submissus Episcopus gentem illam converterit, Hic cum inter cætera, facta à Christo miracula, Barbaris exponeret, nunquam, inquit, doctrinam tuam amplectemur, nisi his similia feceris, Tum is, petite, petite, quod vultis. At illi dixerunt, Libet, qui de Christo docet, est in ignem conjiciendus, qui, si inviolatus manserit, argumento nobis erit, verum esse Deum, qui à te prædicatur. Ascendit Episcopus, rogos incenditur, & cum oculis ac manibus in cælum levatis dixisset Antistes, clarifica nomen tuum Christe Deus, sacrum Evangelium in rogam imponit, quod diu in flamma relictum mansit illæsum. Eo miraculo Barbari obstupesci prædicationi crediderunt, & sacro Baptismatis fonte abluti sunt.

Colles.

*P*inguescunt speciosa deserti (olim sterilis)
 & exultatione colles ascingentur. Ps. 25. sive
 omnium

omnium fructuum proventu exhilarabunt. Desertum prius sterile & ex post fecundum est natio barbara peccator conversi. *Benedictiones Patris tui confortata sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium aeternorum.* Gen. 49. Sic benedictio Patris super filios multum apud Deum valet ob merita majorum. Teste Ambr. aliqui ex Josephi, qui hanc benedictionem accepit, posteris cum tribu Juda redierunt ex captivitate Babylonica, & à Deo usque ad adventum Christi fuere benedicti. Per colles æternos designatur cælum empyreum, in quo Christus cum Electis regnabit. *Incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos.* Luc. 23. *Incurvati sunt colles mundi [potentes, adversarii viribus suis confidentes] Ab itineribus aeternitatis ejus traduxit eos.* Hab. 3. Scilicet Deus perpetuis deambulationibus quasi ambulans cum populo Israel pro eo pugnavit.

Montes.

Mons coagulatus, mons pinguis. Ps. 67 Mons Selmon scilicet, *Gracè* significat montem caseo abundantem. *Latinè* montem instar casei coagulati firmiter solidatum. In eodem Ps. vocatur *Mons Dei*, hoc est, altissimus. Qui prope illum habitant, dicuntur *nive dealbati*. Quia mons hic perpetuis nitet pruinis in vertice, & in ima sui parte adeo fertilis ac pinguis est, ut causam præbeat magnæ hilaritatis & lætitiæ,

titiæ, quam color montis albus & candidus
 quoque designat. Nam non est conveniens lu-
 cibus ille color. *Quid suspicamini montes con-*
gulosos? hoc est, quid alios montes tanquam
 fertiles & pingues suspicatis? cùm nullus monti
Solmon æquiparari possit. Et præterea sit mons,
 in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim
Dominus habitabit in finem. Ibid. v. 24. Talis
 respectu mundi & omnium ejus desiderabilium
 est status religiosus, anima hominis perfecti,
 sedes Beatorum. *Traduxit eos in montem san-*
ctificationis sue, montem quem acquisivit dextera
ejus. Ps. 77. In sensu literali est mons Sion in
 Jerusalem. *Tropol.* mons perfectionis. *Anag.*
 Cælum. *In monte salvum te fac.* Gen. 19. In
 religioso statu, ut sis liber à Sodomæ & Go-
 morrhæ, sive malo mundi igne. *Requievit ar-*
ca super montes America. Gen. 8. Unde inter
 altiores mundi computantur. *Jactatus mundi*
curis, tuisque queis nimium indulxisti passio-
nibus, non quiesces, nisi ascendas cum Chri-
sto ejusque Discipulis ac sequacibus in sensu
morali in montem illum, è quo ipse docuit octo
beatitudines Matth. 5. & harum coneris fieri
particeps. *Montes excelsi cervis, petra refugium*
berinaceis. Ps. 103. Perfectioni ac virtuti stu-
 dentes magis magisque se à terrenis separant, &
 ad alta procul à mundi tumultibus enituntur.
Offer holocaustum super unum montium, quem
monstravero tibi. Gen. 27. Isaac unigenitus
 Abrahami immolandus genuina erat figura
 Christi. Sed quanta Dei bonitas erga homines!

Abrahæ bonâ voluntate contentus erat Deus, & loco Ifaci immolatione arietis. Filius autem Dei in monte eodem Morian five Calvariæ ipse immolari debuit. Est etiam celebris in Script. Mons Sinai, in quo Deus dedit præcepta Israelitis Exod. 20. & prius apparuerat Moyfi Exod. 3. videnti, quod rubus [in cuius medio loquebatur Deus] arderet, & non combureretur. Allegoricè ignis in rubo est verbum Dei in humana carne, vel Virginis utero illasâ virginitate. Moraliter flammæ persecutionum vel tentationum etiam internæ concupiscentiæ non lædunt justos, sed elatiores reddunt. Porrò à rubis in hoc monte frequentibus vocatus is est Mons *Sinai*, quod hebraicè *rubum significat*. Vocatur idem Mons *Horeb*, id est *Siccitas*. Ad quem per iter 40. dierum & noctium in fortitudine subcinericii panis ab Angelo ei dati pervenit Elias 3. Reg. 19. Applicata ad animam in fortitudine cibi Eucharistici pervenientem ad cælum. Montem hunc celebrem fecit Deus, nil tamen singulare de ipsius fertilitate aut excellentia memoratur. Sed tantùm, quod rubis plenus, & siccus fit. Nempè in desertis & maeris locis, five etiam apud homines secundùm exteriorem speciem viles, humiles se familiaritùs insinuat Deus; quam in locis pinguibus, & apud opulentos, pomposos, &c. superbi etiam repræsentantur per *Montes Gelboæ*. In quos *nec ros* (cælestis gratiæ) *nec pluvia* (consolationis internæ) *descendit*. 2. Reg. 1. *Omnis mons & collis humiliabitur*. Luc. 3. *Superbus*. Sic in imum

tarta-

tartarum detrusus Lucifer, qui Il. 14. dicebat: *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo. Quicumque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hesitaverit in corde suo, fiet ei.* Luc. 11. Sic etiam passiones tuas, aliarumque difficultatum montes, qui in via perfectionis tibi videntur esse insuperabiles, fide, fiducia in Deum ejusque gratiâ, & cooperatione cum eadem fretus, adhibito maximè examinis particularis subsidio, item prævisione, quando hæc illa passio, & in quibus circumstantiis se motura sit; simulque proposito pro tali tempore jam ab ante factò, adhibitoque saltem conatu tali pugnâ actu instante, qui in tua est potestate, ejusmodi inquam montes, qui tibi tetrico ac pusillanimi videntur insuperabiles, superabis, & planius per repetitas tui ipsius victorias iter in via perfectionis conficies. Alii sunt montes in ordine ad æternam salutem penè insuperabiles, quos offendunt, qui & peccata peccatis accumulunt, & pœnitentiam de die in diem sæpè usque ad mortem differunt. His inculco illud Jerem. 13. *Date Domino Deo vestro gloriam (convertendo vos ad eum, dum tempus est) antequam contenebrescat [tempore mortis] & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Difficultates circa restitutionem famæ, alieni boni, depositionem odii, vel inveteratæ libidinis.*

Piscina, Aqua, turbida, foetens.

OCuli tui sicut piscine in Hesebon. Cant. 7. Sicut enim illæ pellucidæ quasi chrystallus
repræ

repræsentabant ad vivum vultus & nævos in-
nientium, simulque serviebant ad potum & lo-
tionem, item agrorum rigationem. Sic Ecclesia
Sponsa Christi nullos patitur latere nævos, ab-
luit Sacramentis suorum sordes, potat eos hac
aqua viva, & lacrymis compunctionis, com-
passionis eos velut spiritali undâ rigat. *Quid
tibi vis in via Egypti? ut bibas aquam turbidam.*
Jer. 2. Applica religioso aspiranti ad aquam tur-
bidam, stagnantem, fœtentem mundi,

Deserta, Solitudines, Sylva.

*I*n terra deserta, & in via, & in aquosa, sic in
Sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam
& gloriam tuam Pl. 62. Per hoc David vult di-
cere, quod itâ in deserto contemplatus sit, &
agnoverit potentiam ac gloriam Dei, quam,
quando Jerosolymis erat ante arcam, aut se si-
stebat in sanctuario coram Domino. Idem mil-
leni Anachoretæ contestari possunt. *Latabitur
deserta & in via, & exultabit solitudo, & florebit
quasi liliū. Germinans germinabit, & exulta-
bit latibunda & laudans.* [Ecclesia gentium, cho-
rus Anachoretarum, anima peccatrix conversa]
Gloria Libani data est ei decor Carmeli & Saron.
Il. 35. Dum peccator conversus magnam adi-
piscitur perfectionem. *Conversus sum in erum-
na mea (dolore ob cædem Uriæ) dum configi-
tur spina.* Pl. 31. Sicut enim conculcans in sylva
spinam sæpè læderis ab ea, itâ dum conscien-
tiam lædis, ejus stimulo configeris, & hoc
ad

430 *Pars secunda de elevatione*
ad conversionem disponit. *Erraverunt in solitudine, in inaquoso. Viam civitatis habitaculi non invenerunt, esurientes & sitientes. Anima eorum in ipsis defecit.* Pl. 106. Ità vagabantur fugati ab hostibus Judæi non inventientes civitatem, quam securè possent inhabitare. Symbolum sunt Christiani, Religiosi aberrantis in via virtutis ac perfectionis; & in creaturis, quibus inhiat, non inventientis solidum solatium, quietem, saturitatem. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto? concitaverunt eum in inaquoso?* Pl. 77. Israelitæ in itinere ad terram promissionis. Peccatores à gratia sanctificante deserti, & continuantes peccata.

Mea sunt omnes fera sylvarum, jumenta in montibus, & boves. Pl. 49. Omnia animalia sylvestria & domestica; quæ Deus dat, etiam pro recreatione hominis. *Sicut ignis, qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes.* Pl. 82. A ventis inflatus ignis vehemens integram absumit sylvam, & sicut flamma comburit scænum in montibus, ità Deus irritatus persequitur, & absumit peccatores.

Causa vestri (ob vestra peccata) Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum. Mich. 3. O quot in terra sancta ob peccata Christianorum templa, domus, urbes magnificæ modò in sylvas ac nemora conversa sunt juxta illud Pl. 68. *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet. Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam sylvam*

gloriam incendit. Jac. 3. Per 10 magna exaltat, intellige, suscitatur, efficit. Nam quot verbis tot ictibus animos audientium ferit, & integra subinde regna inter se committit, agitque quod vult. Verè mors & vita in manibus lingua. Prov. 18.

Valles, Abyssus, Putei, Lacus, Cisterna.

Induti sunt arietes ovium [vellere optimam lanam] & valles abundabunt frumento. Clamabunt, etenim Hymnum dicent. Ps. 64. Jubilabunt ob earum ubertatem homines, & laudabunt Deum. Per valles uberes etiam designantur humiles, in quos defluit frugifer cælestis imber. *Ad te O Virgo Beata suspiramus gementes & fletus in hac lacrymarum valle. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas (experiri me fecisti) conversus placatus vivificasti me, de abyssis terra extremis malis iterum reduxisti me. Ps. 70. Abyssus operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Exod. 15. Egyptii in mari rubro submersi. Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit. Habac. 3. Intelligitur de aquis maris rubri, & Jordanis cum sonitu ascendentibus. Abyssus abyssum invocat. Ps. 41. in sensu literalis. Una calamitas succedit alteri, sicut fluctus fluctum premit. In sensu morali intelligitur de peccatore, de homine abysso nihilitatis invocante Deum infinitæ Majestatis. *Judicia tua abyssus multa. Ps. 35. Miserunt eum (Joseph) in cisternam veterem. Gen. 38. Sic premitur, non opprimitur inno-**

innocentia. Idem docet *missus in lacum leonum* Daniel Dan. 6. *Foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas.* Jer. 2. dicitur de Judæis frustra ab Ægyptiis opera sperantibus, & applicatur Christianis, Religiosis Deo derelicto mundana quærentibus solatia. Cùm à fortibus per media hostium castra allata esset Davidi siti-enti aqua *ex cisterna, quæ est in Bethlehem.* 2. Reg. 23. Is insignis sui victor libavit eam Domino. *Posuerunt me in lacu inferiori* [sepulchro] *in tenebrosis, & in umbra mortis.* Pl. 87. Ob mala inflicta mihi visus sum jam ibi esse. *Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Pl. 68. Afflictio me non ità obruat, ut inde non possim emergere. Sicut ille, qui in puteum cecidit, eoque obstructo evadendi spem non habet. Verè infernus urget super damnatos os suum, quia inde in æternum eluctari non possunt. *Eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me à descendantibus in lacum.* Pl. 29. Hoc de morte & sepulchro intelligitur. A quibus Propheta se liberatum esse dicit, & vitam adhuc ei à Deo prolongatam. Intelligitur aliàs in Scriptura per infernum locus ipse damnatorum, & per *lacum* purgatorium, vel limbus Patrum. Et hoc ansam præbet denuò agendi de aliquibus controversiis cum Hæreticis.

